

Impugnatur. est vera quoad primam partem, ut infra d. 50. dis-
seretur: quoad secundam verò partem non so-
luit difficultatem, quia in argumento assumitur
connaturalitas non in sensu formali, quæ desi-
gnat formam supernaturalem quoad substan-
tiam, sed effectivè, ut designatur sufficiens virtus
activa in toto illo complexo respectu visionis,
quamvis illa virtus sit creata. Conceditur ergo
hoc sensu visionem esse connaturalem, quantum
ad virtutem necessariam, & completam ex parte
potentiæ: negatur quantum ad concursum requi-
situm ex parte obiecti, qui concursus specialis
est, & necessarius, tum quia ipsum obiectum est
voluntarium, & non videtur nisi vult, ut dicit
Ambrosius; tum quia præter virtutem potentiæ,
& luminis ulterius requiritur concursus specialis
obiecti ut præsentis ad visionem intuitivam, sine
quo concursu virtus potentiæ, & luminis est re-
mota, quia neque ex se possunt habere præsen-
tiam obiecti, neque illa etiam habita possunt in
visionem sine concursu obiecti, quod est prima-
ria causa visionis; negatur tamen consequentia:
quia quantumlibet crescat creatus intellectus in
perfectiōe, nunquam attingit perfectiōem ha-
bitus supernaturalis, licet attingere possit perfe-
ctionem habitus acquisiti, repugnat in genere
substantiæ supernaturalis: quia causa creata in
qualicumque perfectiōe propria, & connaturali
nequit attingere effectum proprium, & specia-
lem causæ primæ: talis est supernaturalis ut exi-
gat à Deo supernaturali autore provenire, & in
nullius creaturæ virtute continetur ut causa

principalis, quidquid sit de instrumentaria; eo er-
go ipso quo substantia creata sit, nequit in sua
virtute naturali includere tanquam causa suffi-
ciens effectum supernaturalem proprium ipsius
Dei: ex quo patet ad probationem conse-
quentis.

Ad secundam obiectionem responderetur acci-
dencia supernaturalia habere subiectum connat-
urale, cui inhærent per modum subiecti, & per
se inclinatum ad illa; illud autem est ipsa natura
spiritualis, cui licet sint connaturalia quantum
ad inclinationem passivam, non tamen quantum
ad virtutem activam. Imò & hoc necessarium
est, ut Deus tanquam excedens omnem virtutem
natiuum causarum naturalium posset perficere
naturam quoad aliquam perfectiōem, cuius ipsa
est capax, licet à nullo agente eiusdem ordinis
haberi possit, aut produci; quin etiam in ipsa na-
tura talis est ordo rerum, ut inferiora perfici pos-
sint per superiora, aliqua perfectiōe, quæ causæ
inferioris ordinis, & eiusdem generis cum subie-
cto nequeunt imprimere subiecto.

Alij responderent potentiam obedientialem
esse connaturalem formis supernaturalibus, in
hoc quòd aliam ex genere suo nequeant suppo-
nere ex parte subiecti, & negarent antecedens.

Ad tertium responderetur visionem hypostati-
cam, qua vnitur natura substantialis assumpta, &
quæ ipsi tantum est intrinseca, esse accidens, &
vniuersum genus supernaturalium supponere na-
turam, & consistere in solis accidentibus, & non
extendi ad formas aliquas substantiales.

Nequit effe-
ctum Dei pro-
prium includi
in virtute
causæ creatæ.

50
Ad secundam
obiectionem.

Ordo & di-
stinctio quæstio-
nis.

QVÆSTIO XII.

Utrum homo in vita mortali possit consequi beatitudinem?

Tertul. lib. 1. contra Praxeam, cap. 4. Athan. serm. contra Arrian. Richard. hic art. 1. quæst. 6. Vasquez
1. part. dist. 55. cap. 4. exposi. in id Exod. 33. Non videbit me homo. & in id 1. Tim. 6. Quem nemo ho-
minum vidit. Aug. Chrysost. Anselmus Hieron. Iudor. citandi in schol.

Arg. 1. **V**trum homo in vita mortali possit consequi beatitudinem? Non enim
idem est quærere hoc, & utrum ex puris naturalibus possit consequi bea-
titudinem? Et arguitur quòd sic: Christus habuit beatitudinem in vita
ista: & tamen verè erat homo mortalis: ergo, &c.

Arg. 2. Item, August. 83. quæst. quæst. antepenultima ad Orosium, dicit de raptu Pauli, quòd vi-
dit Deum eo modo, quo beati vident in patria: & tamen erat in corpore mortali. &
licet visio illa fuerit quasi horaria, potuisset Deus illam conseruasse, & continuasse
per totam vitam eius: ergo posset homo consequi beatitudinem in vita mortali.

Arg. 3. Præterea, illud, quod non est susceptivum beatitudinis, non impedit ad beati-
tudinem aliquid beatificabile beatificari; sed corpus non est beatificabile, quia non
est coniungibile ultimo bono simpliciter: ergo siue mortale, siue non mortale, non
impedit animam beatificari: ergo in vita ista potest.

Arg. 4. Præterea, homo, naturaliter appetit beatitudinem, & si non potest eam consequi,
nisi moriatur debet homo apperere naturaliter mori, quia eodem appetitu appetitur
aliquid, & fugitur impediens: ergo homo naturaliter fugeret vitam mortalem: quod
est contra Apostolum, 2. ad Cor. 5. Nolumus expoliari, sed superueffiri.

Arg. 5. Vltimò arguitur sic; illud quod immediatè in vita ista potest cognosci, potest im-
mediatè diligi, & sic potest diligens ipso frui, & esse beatus; sed in vita mortali po-
test Deus immediatè cognosci per actum fidei: ergo, &c.

Contrà

Contrà, August. 13. *de Trin. cap. 8.* probat quòd cum mortalitate non potest esse *Ras. ad* beatitudo, quia tunc posset beatitudo amitti per mortem, & hoc sciret homo, quòd *opp.* moreretur. Tunc arguit, aut volens amitteret, aut nolens, aut nec sic, nec sic. Si volens, iam non esset illud summè volibile. Si nolens, ergo timeret, & sic tristaretur. Sinec sic, nec sic; ergo non curaret de maximo bono suo, quod est inconueniens: ergo in vita mortali non potest homo esse beatus. Item Exodi 33. dicitur. *Non videbit me homo, & viuet.* ibi Glof. est pro hoc.

COMMENTARIUS.

Ordo & diuisio quæstionis.

Vtrum homo in vita mortali, &c. In hac quæstione primò explicat titulum quæstionis.

Secundò radicem repugnantiz ex parte agentis & passi, ex qua posset repugnare beatitudo in vita mortali. Tertiò, tenet non esse repugnantiam in ordine ad potentiâ Dei absolutam; esse tamen repugnantiam de lege ordinaria, & soluit argumeta.

SCHOLIUM.

Non repugnare simpliciter ex parte agentis Dei, nec ex parte passi, scilicet hominis, aliquem in hac vita mortali beari. Explicat clarè, ac etiam qualis est repugnantia inter beatitudinem, & hanc vitam, dicens esse virtuales, quia effectus repugnant, scilicet immortalitas & mortalitas. Paulum vidisse diuinam essentiam tenent Chrysost. hom. 26. in 2. ad Cor. Aug. 12. de Gen. ad lit. cap. 27. 28. & l. 83. quæst. 81. Anselm. in 2 Cor. 12. D. Thom. 2. 2. quæst. 175. art. 4. Scot. 2. dist. 3. quæst. 9. Negat id de Paulo Hieron. dial. 3. contra Pelag. fi. & Isidor. lib. 1. de sum. bono, & alij.

Respondeo, & dico quòd ad istam quæstionem potest esse duplex intellectus; vel vtrum homo in actibus, quos modò experimur in nobis, possit in vita ista beatificari; & dixisset Philosophus quòd sic, & quòd alia noticia, & dilectio clara, & immediata non fuisset possibilis homini, per rationem naturalem inuestigando; sed hoc fuit superiùs reprobatur: tum quia totum ens est obiectum suum, & per consequens non quietatur, nisi in cognitione summi intelligibilis in se: tum quia cognitio intuitiua competit sensui circa obiectum suum: ergo & intellectui circa suum: & sic ratio naturalis docet, quòd Deus immediatè, & nudè poterit cognosci, & per consequens diligi ab homine.

Alius intellectus posset esse, vtrum in vita mortali aliis actibus, quàm modò experimur, posset homo fieri beatus. Ad quod dico, quòd impossibilitas aliquid recipiendi in subiecto præexistente, potest esse ex duobus, vel ex parte agentis, vel ex parte passi. Ex parte passi dupliciter, vel quia simpliciter repugnat passo, sicut lapidi sapientem esse: vel secundùm *quid*, sicut subiecto existenti sub vno contrario, repugnat pro tunc esse sub opposito.

De istis ergo tribus est videndum, primò ex parte agentis. Si enim dispositio præiuncta non requiritur ad esse beatum, sicut lumen gloriæ: tunc agenti vt agens est, non repugnat plus modò dare beatitudinem, quàm in alia vita, si dispositio requiritur, potest illam dispositionem primò dare, & illa data, beatitudinem conferre, sicut post mortem: nulla enim est impossibilitas simpliciter, sed solùm, quia caret illa dispositione modò: sic ergo non est impossibilitas ex parte agentis.

De impossibilitate ex parte passi, patet quòd non est impossibilitas simpliciter ex natura sua: tunc enim nunquam posset recipere beatitudinem: ergo si est repugnantia modò, hoc est ratione alicuius quod est in passo, cum quo non potest esse beatitudo: & si est aliquid tale impediens, hoc erit mortalitas: talis autem repugnantia mortalitatis ad beatitudinem non est formalis repugnantia: tunc enim in Christo non potuissent fuisse simul, quod non est verum.

Qualis ergo est ista repugnantia inter illa duo? Dicendum quòd non omnis oppositio est formalis, sed quædam virtualis: vt si aliqua forma nata est facere aliquem effectum, effectus oppositus illi effectui opponitur causæ effectus virtualiter. Exemplum, ignis non solùm repugnat formæ grauis, sed effectui eius, quod est ferri descendere. causa enim virtualiter continet effectum oppositum illi effectui, & naturaliter sequeretur, nisi esset impediens. Repugnat ergo vt in pluribus, mortalitas beatitudini, non formaliter, sed quia effectus vnius repugnat effectui alterius: & per consequens

quæst. 8. huius dist.

Dubitat de lumine gloriæ inbarente, de quo præced. Non repugnat ex parte agentis, aliquem in hac vita beari.

Quenam repugnantia inter beatitudinem, & vitam istam.

sequens causa illius effectus: beatitudo enim est causa immortalitatis in anima: mortalitas igitur repugnat beatitudini, quia repugnat eius effectui.

Cum ergo naturaliter appetitus sensitivus in homine mortali inclinatur ad delectabile; & appetitus sensitivus natus est appetitum intellectivum inclinare, beatitudo autem non compatitur in appetitu intellectivo aliquam deordinationem, nec in sensitivo, quia summa delectatio amovet omnem tristitiam, non solum oppositam, *i. Eth. c. 28.* sed contingentem: & per consequens non sinitur appetitus sensitivus habere tristitiam circa passionem, & sic mortalis impeditur ab effectui, qui naturaliter natus est consequi: & per consequens repugnat mortalitati beatitudo ratione repugnantiae effectuum naturaliter consequentium.

*Beatitudo
corporis non
stat cum
vita mor-
tali.*

Alio modo potest aliter signari repugnantia, quia licet corpus non sit beatificabile beatitudine proprie dicta, sicut loquitur Augustinus ad Dioscorum, quæ scilicet est in actu intellectus, & voluntatis: tamen est secundum *quid* beatificabile: & siue illa beatitudo corporis sit immediatè à Deo, siue ex redundantia beatitudinis animæ: tamen ordo est ibi, quod beatitudo animæ non est omninò perfecta sine illa corporis. Cum ergo beatitudo corporis non possit stare cum vita mortali, repugnat effectui perfectæ beatitudinis esse in vita mortali. Patet ergo quod sine miraculo non potest esse beatitudo in vita mortali: & non solum in hoc, quod detur beatitudo, est miraculum: sed quia res naturalis impeditur ab effectui suo naturaliter consequente, non tamen per agens naturale contrarium.

Obiect. 1.

Sed non videtur quod sufficiat repugnantia, quæ dicta est: est enim repugnantia alicuius ad oppositum sui effectus: si enim obiectum beatificum esset modò præsens sub illa ratione animæ, immutaret animam, & videret clarè, sicut post vitam illam, & ita modò impediretur effectus naturalis appetitus sensitivi & intellectivi, sicut in alia vita impedirentur: ergo eadem ratione, sine maiori repugnantia posset modò aliquis esse beatus, si Deus daret beatitudinem, sicut tunc.

Obiectio. 2.

Et confirmatur, quia circa idem obiectum eadem natura semper habet eundem actum specie: ergo sicut tunc, & modò.

*Ad primam
obiect.*

Dicendum, quod non est simile, quia in vita mortali causa naturalis semper agit effectum suum, nisi per contrarium impediatur: & si suspendatur actio ista aliter, quàm per oppositum, miraculum est: & tale dicitur Deus non posse de lege communi. In vita autem immortalis non talis erit necessitas respectu effectus naturalis: quia Deus pro statu isto disposuit rebus coagere, & actiones proprias eis finire habere secundum Augustinum 7. *de Civit. Dei, cap. 30.* In statu autem illo non coaget eis ad corruptionem mutuam, & ad multos alios effectus: & idè non est miraculum si tunc non habent effectus suos, maximè imperfectos.

*Ad secundam
obiect.*

Ad secundum dicendum, quod licet idem sit obiectum potentiae, & naturæ eiusdem in se, & absolute; considerando tamen obiectum illud sic materialiter idem bene distinguitur secundum diversos status, & dispositiones potentiae: unde obiectum proprium unius status, & alterius differunt plùs, quàm specie. Similiter aliud, & aliud est lumen hîc, & ibi, & idè actus sunt diversi specie. Alia diversitas potest ibi assignari, quia actus abstractivus, & intuitivus differunt specie: quia aliud, & aliud, est ibi movens, hîc enim movet species similis rei: ibi autem movet res præsens in se.

*Notitia
abstracti-
va, & in-
tuitiva dif-
ferunt spe-
cie.*

Ex dictis possunt solui, & intelligi omnes auctoritates Sanctorum: repugnat enim non solum, quia miraculum esset, si Deus daret beatitudinem, sed aliud miraculum requireretur, scilicet suspensio miraculosa potentiae naturalis ab effectui suo naturali: & idè dicitur, quod de lege communi non posset esse.

Ad arg. 1.

*Miraculū
Christum
fuisse beatū
& mortālē.*

Ad argumenta. Ad primum de Christo, dicendum quod semper fuit miraculum usque ad mortem quod simul fuerunt beatitudo, & mortalitas, propter repugnantiam effectuum. & sicut hîc dolor partis sensitivæ redundabat usque ad superiorem partem animæ, illud fuit miraculum contra effectum beatitudinis.

Ad 2.

Ad aliud de Paulo, concedo quod non simpliciter est, nec fuit repugnantia: & sic Deus miraculose potuisset continuasse. sed hoc non est de lege communi.

Ad 3.

Ad aliud, cum dicitur, corpus non est susceptivum beatitudinis; concedo, talis, qualis anima: est tamen susceptivum, & productivum alicuius effectus, cui repugnat effectus beatitudinis, & è converso.

Ad 4.

Ad aliud de vita fugienda, concedo quod vita ista inquantum vita, non repugnat beatitudini; sed hoc est solum inquantum est mortalis, & sic nullus appetit dissolui, sed superuivere, hoc est magis appetit quod semper possit esse immortalis vita sua.

Ad

*De
rel
sili*

*Re
bea
pro
in
fun*

1. S

2. S

*3. S
Pess
mus
bea
moi
pote
solu*

Pro

*Nor
gna
te a
ant*

Ref

8 Ad aliud de cognitione, & dilectione Dei immediata, dico quod potest cognosci, *Ad 5.* & diligere hinc immediate: tamen in communi, & confusè; talis autem dilectio, & notitia non est ultima beatitudo possibilis homini, sicut prius dictum est, sed consistit in cognitione intuitiva clara, & dilectione correspondente.

Ex hoc sequitur corollarium, quod cum anima non potest esse perfectè beata coniuncta corpori mortali, appetit perfectè beatificari: & per consequens appetit esse coniuncta corpori, sed immortalis; quia tunc perfectè erit beata, non tamen corpus erit beatum simpliciter, sed fruens, & intelligens: sicut loquitur Augustinus ad Dioscorum, de beatitudine naturæ, & beatitudine secundum *quid*, quæ consistit in actu secundo: quia corpus, ut est distinctum contra animam, nullum habet actum secundum. Consistit ergo beatitudo corporis in *esse* primo, ut est perfectibile ab anima beata: & hoc propter duo, vel propter maiorem perfectionem animæ in operando, vel propter maiorem perfectionem corporis ab anima, quia materia est propter formam, & non è conuerso. Et quia ista perfectio corporis ponitur esse in quatuor dotibus, idè quæritur.

Beatitudo corporis in quo consistit.

COMMENTARIUS.

2 *Duplex intellectus questionis.*
Respondeo & dico, &c. Secluso intellectu, & sensu rituli, quo beatitudo ultima hominis statui posset in actibus, quos experitur in se homo in vita mortali, sicut Philosophus affirmaret: subdit alium intellectum; nempe *an per alios actus diuersos, quos modò non experitur, repugnat ei beatitudo in vita mortali.* Radix huius repugnantia potest esse ex parte agentis, vel ex parte passivi, & hoc dupliciter, vel quia absolute repugnaret, sicut lapidi esse sapientem: vel secundum *quid*, quatenus subiectum est sub forma contraria.

Repugnantia beatitudinis pro hoc statu in quo possit fundari.

3 *1. Sent.*
2. Sent.
 In hac ergo difficultate tres sunt sententiæ: prima negat de potentia absoluta posse communicari beatitudinem existentem in vita mortali. Aliquos ita sensisse refert Salas. Secunda sententia est, non posse ei communicari beatitudinem nisi sopitis sensibus, & in extasi: eam tenuit Henricus quodlib. 7. quæst. 6. citatur pro eadem D. Thomas 2. 2. quæst. 175. art. 4. & quodlib. 1. art. 1. & lib. 3. contra gentes cap. 47. ubi Ferrariensis.

4 *3. Sent.*
4. Sent.
 Tertia sententia est Doctoris affirmans de potentia absoluta posse communicari beatitudinem mortali; quam docet etiam Richardus in hac diff. art. 2. quæst. 6. èltque frequentior Modernorum, Suarez 1. 2. disput. 16. quæstione 1. Vasquez conc. in art. 3. quæst. 5. in 1. 2. & 1. part. quæst. 12. art. 11. in commento articuli. Loræ 1. 2. quæst. 5. art. 3. in comm. Lusitani lib. 12. de beatit. quæst. 7. §. 8. Probatur ratione Doctoris, quia non est repugnantia ex parte agentis, quin possit visionem claram Dei, & amorem communicare, vel immediatè, vel conferendo lumen, & reliqua requisita; non est repugnantia ex parte passivi simpliciter; neque est repugnantia formalis per positionem formæ contrariæ; sed tantum virtualis, quatenus possibilitas, quæ sequitur ex causa naturali, ut effectus, & corruptio adiuncta mortalitati repugnat summo gaudio, quod sequitur beatitudinem ut effectum, alterum ex his potest Deus tollere de potentia absoluta: ergo, &c.

Probatio.

Non repugnare ex parte agentis, aut subiecti.

5 *Responsio.*

Si dicatur quod anima nequit esse completè beata sine beatitudine corporis.

Contrà, in Christo fuit sic beata; quamvis corpus erat passibile, & mortale. Quod dicit sententia de extasi, non videtur necessarium; quia licet viatoribus, & reliquis de facto non contingit beatitudo etiam transiens sine raptu: tamen potest Deus communicare beatitudinem sine ra-

tu, illum præueniendo, sicut fuit communicata Christo: quin etiam communicare potest beatitudinem transeuntem hoc modo, & sine raptu: nam raptus prouenit ex imperfecto modo intelligendi nostri intellectus pro hoc statu: quam imperfectionem potest Deus tollere. Concludit ergo Doctor quod sine miraculo nequeat communicari beatitudo homini puro, & mortali; quod miraculum non solum consistit in concessione ipsius beatitudinis præter potentiam ordinariam, & legem, sed etiam suspendendo causam naturalem à suo effectu, qui opponitur effectui alicui beatitudinis; quæ suspensio in hoc est miraculum, quia impeditur non per causam naturalem agentem ad oppositum, & prævalentem in virtute, sed per suspensionem concursus diuini, & necessarij; quamvis hæc suspensio fiat consequenter ad ipsam beatitudinem, vel permanentem, vel transeuntem.

Vnde proueniat raptus.

Communicatio beatitudinis hoc modo esset miraculosa ex duplici capite.

Sed non videtur, &c. Hic obijcit contra dictam repugnantiam virtutalem ratione causarum, & effectuum consequentium, quasi minus sufficiat: quia si obiectum beatificum esset modò præsens animæ, immutaret illam, & videret clarè sicut videri in termino, & post vitam præsentem, & sic impediretur effectus naturalis affectus sensitiui, & intellectiui, sicut in alia vita impedirentur: quia delectatio consequens beatitudinem esset summa, & impediret omnia opposita, ut passionem circa delectabile creatum, & dolorem ex eius subtractione, sicut in altera vita impedirentur: ergo non est maior repugnantia hac in parte pro vita præsentem ad beatitudinem, quantum est ex parte passivi, quam in vita futura. Et confirmatur, quia circa idem obiectum eadem natura habet eundem in specie actum: ergo, &c.

6 *Obiectio.*

Respondet negando paritatem: quia in vita mortali sicut causa naturalis ex communi Dei prouidentia habet concursum eius paratum iuxta exigentiam effectus, & virtutis, sic semper agit, nisi impediatur per agens contrarium, & si suspendatur actio eius aliter, quam ex victoria agentis oppositi, est miraculum: in statu autem immortalis prouidentia Dei est aliter disposita, ut non agat cum causa naturali ad corruptionem, & idè non est miraculum, ut Deus non coagat agentibus pro illo statu ad effectus imperfectos & corruptiuos: quia scilicet lege communij, & ordinaria disposuit non agere: sicut è contra in statu mortali disposuit agere, ut docet August. in litera citatus, 7. de ciuit. cap. 30.

Responsio

Suspensio causa secundum da ab effectu pro hoc statu nisi fiat per virtutem oppositam, est in 1. 2. 11. 22.

Sententia
negativa.

quæst. 174. art. 4. & in hac distinct. & variis aliis in locis: quem sequitur eius schola prædictis in locis. Noster Doctor hic nihil resoluit: asserit tamen in 2. dist. 3. quæst. 9. ubi eius discipuli. Egidius Lusitanus lib. 12. quæst. 8. art. 3. §. 1. & 2. reliquos citans eam sequitur. Pro opposita certat Catherinus in Apostolum. Vasquez 1. part. disput. 56. cap. 1. Eandem probabiliorum aliqui posteriores defendunt, ut Suarez in 3. part. tom. 2. disp. 19. sect. 4. Tenenda est communis sententia, in qua expositio verborum Pauli magis genuina proponitur de ipsa visione, & nihil urget in contrarium, quod sit maioris momenti.

13

An autem Moyse, vel aliis quibusdam Sanctis in via fuerit communicatum hoc privilegium, & quo fundamento, in quibusdam asseritur: videantur Doctores, & potissimè Lusitanus

in præmissa quæstione per varios articulos. Ad reliqua argumenta patet solutio ex dictis, & in textu; cui subiungit corollarium, seu quandam introductionem ad quæstiones quatuor sequentes, in quibus explicat quatuor dotes corporis, in quibus eius beatitudo consistit.

Haecenus cum Doctore exposuimus per duodecim quæstiones rationem beatitudinis formalis, prout de eadem hic disserit. De obiectiva autem beatitudine agitur in distinctione prima primi. Hic etiam egit Doctor præcisè de beatitudine formali, ut est obiecti primarij, & non ut extenditur ad obiectum secundarium, de quo alias plura suis locis tractat sparsim quæ huc reuocare non est visum expedire, in que vacat: itaque compendio temporis, & operis prosequimur quæstiones sequentes.

14

Q V Æ S T I O XIII.

Utrum corpus hominis beati post resurrectionem erit impassibile?

D. Thom. in add. quæst. 82. art. 1. & 4. dist. 44. quæst. 2. art. 1. Richard. hic art. 4. quæst. 1. 1. 3. D. Bonavent. 2. part. art. 2. quæst. 1. Durand. quæst. 5. & disp. 43. q. 4. Soto hic q. 4. Suar. 3. part. tom. 2. disp. 48. sect. 2. 3. f. de Scot. 9. Met. q. 14. & in Thear. 5. Non potest probari hominem sine.

1



UTRUM corpus hominis beati post resurrectionem erit impassibile? Arg. 1. Quod non; Gregor. super illud Ioann. 20. *infer digitum tuum huc*, &c. *Corrumpi necesse est, quod palpatur*: corpus gloriosum erit palpabile, sicut Corpus Christi fuit, sicut apparet Luc. 24. *Palpate, & videte*, &c.

Præterea, si illud corpus sit impassibile, ergo beatus non potest sentire aliquod sensibile; consequens est falsum, quia sensatio, cum sit operatio perfecta animalis, non deerit homini beato. Consequentia probatur, quia omne sensuum potest corrumpi ab excellenti sensibili: quod corrumpitur ab excellenti, patitur ab inferiori, sicut quod corrumpitur à calidissimo, patitur à minùs calido.

Præterea, nullum violentum est perpetuum; sed corpus illud, cum sit mixtum, habet in se quatuor elementa, quorum quodlibet præter unum, est extra regionem suam propriam: ergo violentè, & per consequens aliquando redibit ad locum proprium, & ita totum corrumpetur.

Præterea, 1. de Cel. & mund. arguit Philosophus contra Platonem, Cælum non potest esse corruptibile, & tamen ab alio perpetuari: quia non potest aliquid esse ex se passibile, & corruptibile, & tamen ab alio perpetuari. A simili potest argui de illo corpore. Hoc etiam vult Comment. 11. Met. ubi vult quod solus motus potest esse possibilis, & tamen ab alio perpetuari.

Oppositum 1. ad Corinth. 15. *Mortale hoc induet immortalitatem*, hoc est incorruptibilitatem. Et iterum ibidem, *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*.

C O M M E N T A R I V S.

De impassibilitate beati corporis.

Ordo, & diuisio quæstionis.

UTRUM corpus hominis, &c. Hæc dos immediatius se habet ad esse corporis, & ad beatitudinem, quæ excludit omne malum, & maxime corruptionis, ideòque prima ponitur à Doctore. Hæc quæstio diuiditur principaliter in duas partes; quarum prima est de veritate rei, quæ subiicitur, & supponitur, nempe corpora beatorum fore impassibilia passione reali, & corruptiua: secunda verò pars continet modum, quo à Doctore secundum varias opiniones defen-

ditur, & declaratur, in quo consistit, reducit diversos modos dicendi ad quatuor in genere. Primus est negans in corpore beatorum qualitates primas, ut excludat principium corruptionis intrinsecum. Secundus est, ut reducantur qualitates illæ ad æqualitatem temperamentum, ita ut neutra possit alteri prævalere in actione, aut subiacere eam quoad passionem. Tertius est, ut dos sit constituta in aliquo positorio impediens omnem passionem, siue illud passiuum sit ipsa anima gloriosa, qua perfectè subiicit sibi corpus, ut nequeat pati ab agere siue intrinseco, siue extrinseco; vel si ponatur dos tanquam forma positiua superaddita corpori, quæ ex se excludat omnem passionem ab alio.

Prima sententia de ratione impassibilitatis.

3. Sent.

Varij modi quibus defenditur.

ab alio. Quartus modus est, ut decernatur consistere in priuatio, & hoc est duplex, nempe cessatio motus cæli, à quo dependet omnis motus, & actio inferiorum, & non cooperatio Dei ad omnem causam secundam corruptiui corporis

humani. Hæc suo ordine tractantur in sequentibus paragraphis. Deinde, respondetur ad fundamenta opposita, & ad argumenta principalia: in responsione autem ad secundum tractatur de passione intentionali.

SCHOLIUM.

Corpus beati futurum impassibile, ex ratione ad oppositum. ex 1. Corinth. 15. & colligitur ex Rom. 6. Luc. 24. Matth. 25. & Apoc. 7. & 22. & Patres docent, August. 20. ciuit. 18. in Enchir. cap. 90. 91. Tertul. de resurr. cap. 51. & l. 5. con. Marcion. cap. 10. exponens id 1. Corinth. 15. Oportet corruptibile, &c. Greg. 14. Mor. 29. aliàs 31. Cyrill. Ieros. catec. 18. Hieron. in Amos. 5. Lactant. lib. 7. diuin. instit. cap. 46. Probat Doctor latè qualitates sequentes mixtionem mansuras in corpore glorioso, atque adeò impassibilitas non potest esse ex carentia harum.

^b **R**espondeo, patet quòd ita est, ex præcedenti quæstione, quia homo non potest esse beatus in vita mortali: totus autem homo erit beatus, quia totus meruit: ergo totum erit beatum in corpore immortali. Probatur hoc etiam, quia homo beatus habebit perfectionem, quæ competit suæ naturæ; talis est immortalitas, quæ a animæ immortali non repugnat perpetuò perficere suum perfectibile. Vnde sicut ex immortalitate animæ concluditur resurrectio, ita probabiliter concluditur ex eadem immortalitas hominis: & per consequens corporis, & ita impassibilitas, loquendo de passione reali, ut distinguitur contra passionem intentionalem, de qua tangetur respondendo ad secundum argumentum.

2

*Qualitates
sequentes
mixtionem
manere in
corpore glo-
rioso.*

^c Sed de causa impassibilitatis dubium est: non enim est per hoc, quòd qualitates consequentes mixtum non maneat in corpore illo tunc: quia tunc non maneret illud corpus mixtum, nec etiam esset proportionatum animæ, sicut nec modò anima posset animare elementum: nec per hoc, quòd illæ qualitates non manebunt contrariæ: quia cum forma sit contraria formæ in specie sua, si tunc remanebunt in corpore eadem qualitates in specie, quæ tunc non sequitur quòd erunt contrariæ, sicut & nunc.

*Vide D.
Bonau. dist.
praf. par. 2.
art. 2. q. 1.
& 2. Vide
Var. q. praf.
Definitio
contrariorū
explicatur.*

³ Nec valet illa ratio ad probandum quòd non sunt contrariæ: quia contraria nata sunt fieri circa idem, & per consequens sibi succedere in eodem: ibi autem non succedit una qualitas alteri, & idè tollitur ratio contrarietatis. Primò quidem non valet, quia circulus est probando præmissam per conclusionem. Secundò, malè intelligitur illa descriptio contrariorum, quia illud non debet intelligi de quibuscunque contrariis acceptis secundum numerum: nec de quocunque eodem secundum numerum; sed de contrariis secundum speciem acceptis, & de eodem secundum speciem: & si de eodem secundum numerum, non omni, sed aliquo. Hæc patent, quia albedo illa, quæ nunc est in illo, & nigredo, quæ est in illo, nunquam succedunt sibi: ergo nec hîc; alioquin alterum illorum migraret: sed circa istud, aliqua albedo, & aliqua nigredo possunt sibi succedere, non tamen circa omne subiectum; quia tunc nullum subiectum determinaret sibi alterum contrarium. Nec potest tertio poni quòd non sit hoc susceptiuum natum tunc recipere contrarium post contrarium, quia susceptiuum manet idem, quod nunc, & per consequens susceptiuum eiusdem naturæ secundum speciem.

*Priuatio
non tollitur
nisi posita
forma.*

Si dicatur quòd tunc manet sine priuatione, nunc cum priuatione. Contrà, hoc contradictionem includit, priuationem formæ tolli à subiecto, nisi ipsa forma insit: quia aptitudo suscipiendi non potest tolli, manente natura susceptiui: carentia autem, quam addit priuatio ultra aptitudinem, non potest tolli, nisi manente illo cuius est carentia.

Si dicas, forma superior tollit priuationem formarum inferiorum, sicut forma cæli, formarum corruptibilium. Contrà, non tollitur carentia, nisi sicut ponitur habitus: superior autem non includit inferiorem in se sub propria ratione, sed tantum virtualiter: ergo non tollit carentiam eius sub propria ratione: ergo nec priuationem eius, si sit nata inesse.

Hoc etiam specialiter patet in proposito, quia nobilissima forma, quæ tunc erit in

toto, erit anima intellectiva: ipsa autem tunc erit eadem, quæ & nunc: & æquè perfecta substantialiter: ergo tunc non tollet priuationem, sicut nec nunc.

COMMENTARIUS.

2
Conclusio
fidei.

Eius proba-
tio.

3
De radice
impossibilita-
ti.

1. Sentent.

2. Sentent.

Manere qua-
litates pri-
mas in beato.

Manent ut
contraria.

4
Responsio.
Impugnatur.

Vnde sumi-
tur contra-
dictio.

Respondeo, patet quod ita est, &c. Omis-
sis Erroribus, qui circa beatitudinem fuerunt
quali in affluentia terrena consisteret, ut volupta-
tibus corporis, & consequenter immutationem
aliam corporum non admittebat. Statuit Doctor
conclusionem Catholicam, quam probat Scholia-
stes in præmissis scholio, & occurrit passim ex
Scriptura, & Patribus. Probat Doctor conclusio-
nem ex dictis in quæstione præcedenti: quia non
potest quis esse beatus in vita mortali: totus au-
tem homo erit beatus: ergo in corpore immor-
tali: aliàs beatitudo non esset cumulus omnium
bonorum, aut possessio omnis boni, quod non
repugnat naturæ, atque vltima eius quietatio; &
non excluderet omnem miseriam. Secunda ratio
est, quia sicut ex immortalitate animæ concludi-
tur resurrectio, ita etiam concluditur probabili-
ter ex eadem, quod semper perficit suum corpus,
ut perfectibilis. Hanc rationem vocat probabi-
lem secundum lumen tantum naturale, non verò
ut fulcitur revelatione, ex qua sustinetur conclusio.

Sed de causa dubium est, &c. Quærit de causa
proxima, à qua est impassibilitas corporis. Aliqui
negant qualitates primas manere in corpore glo-
rioso, licet in eo maneant elementa quoad sub-
stantiam: de hac opinione mentionem facit
D. Thomas in 4. dist. 44. quæst. 2. art. 1. quæstionum. 1.
& Auctuarius eius summæ 3. part. quæst. 82. art. 1.
Alij docent apud eundem, licet maneant quali-
tates, eas non manere ut contrarias. Vtramque
opinionem hic excludit Doctor. Primò, quia illæ
qualitates si non manerent, non maneret forma
mixti, neque enim anima potest immediatè in-
formare elementum. Deinde, secundus modus
dicendi non subsistit: quia nequeunt qualitates
illæ manere nisi ut sunt contrariæ, quia hoc ipsis
competit ex ratione sua formali, sine qua esse
non possunt; sicut neque albedo nisi sit formaliter
albedo, & consequenter contraria nigredini:
ergo eadem qualitates si manent, manebunt
quoad suas species, quæ sunt inuariabiles, atque
adèd manebunt sicut modò insunt, quoad ean-
dem oppositionem quantum est ex natura sua.

Dices non fore contrarias, quæ non possunt
sibi inuicem succedere in eodem.

Contrà, committitur circulus in probatione.
Deinde, contrarietas non sumitur ab individuis,
sed à specie formæ, quæ primò opponitur alteri:
quia albedo, quæ est in vno, & nigredo, quæ est
in altero nunquam sibi succedent (quamvis sint

inter se contrariæ formæ) alioquin daretur mi-
gratio accidentis de subiecto in subiectum: sed
autem idem subiectum licet non omnis albedo,
& omnis nigredo in individuo sibi succedere
possint; tamen sufficit quod aliqua albedo nigre-
dini succedere possit: non tamen citra idem sub-
iectum: quia tunc nullum subiectum determina-
ret sibi extremum contrariorum: v.g. neque cy-
gnus albedinem, neque coruus nigredinem, ne-
que ignis calorem, quæ formæ naturaliter abesse
eis non possunt, quia sunt dispositiones con-
naturales sui esse per formam.

Non requiritur
ut forma con-
traria sibi
mutuò succe-
dat in quo-
libet subiecto.

Præterea, in proposito nequit dici, quod vnum
contrariorum alteri non possit succedere: quia
sicut modò succedit in vita mortali, sic etiam
non repugnat quin succedere possit in alia vita,
quantum est ex natura formarum, & subiecti, ab
intrinseco, ideòque recurrendum erit ad aliquam
aliam causam extra vtriusque tam subiecti, quam
formatum contrariarum naturam. Accedit quod
hæc ratio non saluet impassibilitatem ab extrin-
seco agente, quod symbolizat in virtute, & for-
ma cum aliqua qualitate contraria determinata
ex illis intrinsecis: v.g. cum calore: nam etsi calor
ex se (ut detur intentum) non possit habere actio-
nem in contrariam qualitatem eiusdem virtutis,
& resistentiæ, non repugnat quin ex coniunctio-
ne calidi vehementis extrinseci simul agat.

Possunt ab in-
trinseco suc-
cedere in bea-
to.

Dices qualitatem contrariam in vita mortali mane-
re cum priuatione; secus autem in corpore glorioso.

Responsio.

Contrà. Hoc inuoluit contradictionem, ut
priuatio formæ contrariæ tollatur, nisi ipsa for-
ma posita; aut aliqua saltem eminenter æquiva-
lente; calor non æquivaleret formæ contrariæ, ne-
que effectum eius includit: ergo nequit tollere
priuationem eius à subiecto.

Impugnatio.

Dices formam superiorem tollere priuatio-
nem formæ inferioris, ut forma cæli tollit priua-
tionem corruptibilitatis à subiecto: ergo idem
erit in proposito.

Responsio

Contrà. Forma superior non tollit priuatio-
nem formæ inferioris, quam nullo modo inclu-
dit; sed vna qualitas mixti non includit aliam,
neque est necessariò superior respectu eius, quan-
tum ad perfectionem actus primi, aut secundi.
Deinde, forma superior si virtualiter tantum in-
cludit inferiorem, non tollit priuationem eius
formalem à subiecto, si alioquin forma priuata
potest secundum se inesse. Accedit quod anima
rationalis sit perfectissima forma, quæ tunc erit
in toto, & sicut nunc non tollit priuationem, ita
etiam neque tunc ipsam tollet. Hæc vltima re-
plica examinabitur in sequentibus.

Vna forma
nō tollit pri-
uationem eius,
quam non
includit.

SCHOLIUM.

*Impassibilitatem non oriri ex adæquata proportionem qualitatum corporis gloriosi, ita
ut non possint agere in se mutuò, tum quia non dabitur talis qualitatum æqualitas, quia
est contra naturam corporis mixti: tum etiam quia si daretur, adhuc staret passibilitas
ab agente extrinseco. Item non oriri ex dominio animæ super corpus, tum quia nullam
habet repugnantiam ad qualitates corruptiuas, tum etiam quia causæ naturales, quoad
suas actiones non subsunt animæ, nec supremo Angelo, modò sint debite applicatæ.*

4 **V**nde ergo erit in illa impassibilitas? Respondeo, ex parte susceptiui non po-
test inueniri aliqua causa intrinseca huius impassibilitatis: vel ergo inuenietur
Scott Oper. Tom. X.

ex defectu agentis, vel ex impedimento agentis absolute, scilicet tam intrinseci, quam extrinseci. Ex parte agentis non potest poni defectus, quia omnipotentia passiva correspondet aliqua activa, vel intrinseca, vel extrinseca: agentis tamen intrinseci fortè posset poni impotentia, ponendo qualitates illas in corpore esse reductas ad tantam æqualitatem, ut una non posset esse principium agendi in alteram. Hoc persuadetur, quia non obstante contrarietate elementorum, si essent accepta in tanta quantitate molis, & virtutis, quod nullum eorum posset aliquod aliud, vel aliqua alia vincere, vel ab alio, vel ab aliis vinci, & sic proportionata includerentur perpetuò in quocunque corpore: nunquam esset ibi corruptio alicuius illorum: quia etsi contrarietas, tamen proportionata æqualitas. Consimiliter videtur nunc esse in elementis: quare enim ignis non comburit omnia elementa, cum sit maioris actiuitatis, non videtur ratio, nisi ex proportionem, vel adæquationem aliorum in resistendo virtuti suæ in agendo, saltem concurrente celo cooperante aliis in resistendo.

*Quare
ignis non
comburit alia
elementa.*

*Impassibi-
litas non est
ex adæqua-
ta propor-
tione quali-
tatum in
corpore glo-
rioso.*

*D. Thom.
in 4. d. 44.
art. 2. q. 1.
Vide Rich.
d. pref. a. 4.
q. 1. & D.
Bonau.*

*Impassibi-
litas non
oritur ex
dominio
anime su-
per corpui.*

*Causa na-
turales non
obediunt
Angelo,
quantum
ad actiones,
& altera-
tionem.*

Sed quia illa causa fortè supponit falsum: non enim erunt tunc qualitates ita reductæ ad æqualitatem in tantum, ut nulla possit esse principium agendi in aliam, quia necesse est in mixto aliquas qualitates dominari, etiam in virtute; quod apparet, quia corpus humanum magis est fluxibile secundum partes materiales, quam corpus alicuius animati, vel inanimati inferioris, quod non est nisi ex dominio alicuius qualitatis, quod exigit animal.

Similiter, ista causa non posset ponere impassibilitatem respectu extrinseci corruptiui: & ideò si corruptionem ab intrinseco excluderet, adhuc esset diminuta: & ideò oportet ponere impassibilitatem per aliquod impediens passionem corruptiuam: tale autem impediens potest poni, vel positivum, vel priuativum. Positivum duplex, anima, vel dos in corpore. Priuativum duplex, cessatio motus cælestis, & non cooperatio Dei cum causa secunda corruptiua.

Pro primo arguitur, quia anima constituta est in medio inter Deum, & creaturam corporalem; sicut ergo tunc ipsa erit perfectè subiecta Deo; tanquam suo superiori, ita perfectè tunc dominabitur suo corpori inferiori.

Contra hoc, anima non repugnat istis qualitatibus, etiam inquantum contrariæ, & non reductæ ad medium, in quo sunt actiue. Patet, quia supponit eas in suo susceptiuo, & nihil repugnat ei, quod exigit in suo susceptiuo: nec etiam repugnat effectibus illarum, quia si illæ agant mutuò, non agunt, nisi actione vniuoca: saltem effectus illi non repugnant animæ usque ad magnam intensionem, quia stant cum anima nunc, licet intenduntur usque ad magnum gradum: ergo nec tunc repugnabunt animæ, ut est forma informans.

Si ergo dicatur, quod anima prohibet tunc actionem illarum qualitarum, non propter repugnantiam sui ad actionem illam, sed propter imperium sui per actum voluntatis suæ, quia ex dominio pleno super corpus. Hoc non videtur probabile, quia supremus Angelus per solum imperium voluntatis suæ non potest impedire actionem alicuius causæ naturalis: causæ enim corporales non obediunt Angelis ad nutum, quantum ad actionem, & alterationem earum.

COMMENTARIUS.

VNDE ergo erit illa impassibilitas, &c. Quærit deinceps causam illius impassibilitatis. Primò dicit, non esse ex parte susceptiui, quia scilicet potentia passiva susceptiui manet ex se inuariata, & correspondet potentia actiue, per quam reduci potest in actum à priuatione. Oportet ergo refundere impassibilitatem in aliquam causam extrinsecam, nempe ex parte agentis absolute tam intrinseci, quam extrinseci, ut agens distinguitur à susceptiuo. Ex parte agentis nequit esse, quia omni potentia passiva correspondet aliquod agens intrinsecum, vel extrinsecum. Adducit modum dicendi eorum, qui dicunt corruptionem provenire ex inæquali proportionem qualitarum, ac proinde reductis qualitatibus ad iustam, & æqualem proportionem fore ab intrinseco incorruptibile corpus. Iusta illa proportio attenditur in eo gradu cuiuslibet, ut ab alio

*Quorundam
sententia.
Proportio
æqualis qua-
litarum.*

vinci non possit, aut pati: nam actio provenit à proportionem maioris inæqualitatis: quando autem unum est in eo gradu, ut non cedat alteri, non sequitur actio: si ergo omnes qualitates primæ reducuntur ad æqualem proportionem, non sequetur actio, neque consequenter passio, aut corruptio. Patet in elementis contrariis, quæ si in dicta proportionem applicentur sibi inuicem, non sequitur actio, quia tanta est resistetia vnius, quanta est virtus actiua alterius, inde fortè fit quod ignis non comburat alia elementa, accedente concursu causæ vniuersalis ad cōseruationem aliorum.

Hanc sententiam reiecit; quia & supponit falsum; quia ista proportio æqualis nequit conuenire mixto; in quo necessarium est aliquam qualitatem dominari aliis in virtute, & corpus humanum est magis in fluxu, quam alia, ut experientia constat, propter dominium vnius qualitatis in aliam. Deinde, non tollit passibilitatem à causa extrinseca: ideòque non reddit causam adæquatam conclusionis: oportet ergo statuere causam aliquam

*Non ulla
impassibilitas
ex hoc sum-
datur.*

7
Sententia
sticiens h
in alius c
sis positiu
aut priua
tius.

Sententia
reducit
causam
suum.

Primus
secundus
dus.

3. Mod

6

4. Mod

Parit
eatur,
tuitur
sui m.

SCHOLIVM.

Impassibilitatem non consistere in qualitate aliqua prohibente corruptionem, nec à tali oriri posse. est contra Henr. & D. Thom. 1. part. quæst. 97. art. 1. (sed non loquitur clarè de hoc) & communem recentiorum. Probat Doctor tribus rationibus. Reicit etiam sententiam Philosophorum, qui dicerent quòd impassibilitas oriretur ex cessatione motus celi, quia motus celi per accidens tantum requiritur ad alios motus, & actiones, de quo dist 48. quæst. 2. num. 14.

7 **P**RO secunda via, scilicet pro dote, arguitur per illud ad Dioscorum, tam potentem fecit animam Deus, ut ex eius plena felicitate redundet in corpus sanitas perpetua, & vigor incorruptibilis. Modus ponendi est talis, sicut durities est quædam impassibilitas, scilicet prohibens quandam passionem, puta faciliter scindi: sic possibile est aliquam esse qualitatem prohibentem omnem passionem corruptiuam.

Contra hoc, illa qualitas non est qualitas cælestis, tum quia nec perspicuitas, nec lux, nec lumen: tum quia corpus humanum, cum sit mixtum, non est capax qualitatis cælestis; vel ergo erit qualitas elementaris, vel propriè mixta: sed siue sic, siue sic, non impedit omnem actionem, vel passionem. Patet in exemplo, quia durities licet prohibeat incisionem, non tamen combustionem, vel aliam passionem destruetivam. Hoc etiam probatur per rationem, quia omnes formæ eiusdem susceptivi proximi sunt eiusdem generis Physici, ex 5. & 10. *Metaph.* sed omnes tales sunt contrariæ, vel mediæ, ut habetur in eodem 10. omnes autem huiusmodi non prohibent actionem mutuam, imò sunt principia actionis mutue: ergo illa qualitas, si est elementaris, vel mixta, & per consequens eiusdem susceptivi, non prohibebit omnem passionem corruptiuam, sed magis erit principium agendi, vel pariendi.

8 Præterea, illa qualitas, aut repugnat aliis qualitatibus, & tunc non prohibet omnem actionem, quia est eiusdem generis: aut non repugnat, & tunc non prohibet actionem alicuius illarum in aliam: quia illæ aliæ sunt inter se repugnantes, & ita principia mutuo agendi, & ita nulli earum actionum repugnat.

Pro tertia opinione arguitur: ablato primo, aufertur quodlibet posterius; cælestis est primus motuum. 8. *Phys.* ergo illo cessante nullus erit alius motus.

Contra hoc est articulus: *Stante celo, approximato igne stupæ, quòd ignis non corrumpit stupam, est error.* Præterea, per rationem, Philosoph. 2. *de Generatione.* Motus pro tanto est generationis causa, quia adducit generans: ergo tantummodò facit ad præsentiam, vel ad approximationem generantis respectu materiæ: ergo si sine motu haberetur eadem præsentia, vel approximatio, æquè foret generatio. Exemplum huius: si subito per potentiam diuinam Sol fieret in medio, sicut fit nunc per motum, eodem modo illuminaret, & calefaceret supposita; sicut nunc calefacit, imò fortius tunc, quia non cessaret agere quousque totaliter corrumpisset sibi suppositum, si posset corrumpere: nunc autem, quia non moratur super passum suppositum, minus agit efficaciter in ipsum.

COMMENTARIUS.

14 **P**RO secunda via, &c. Superiùs expressit duos modos, quibus impassibilitas reducitur in causam positivam intrinsecam. Prima est, quæ illam causam dicit esse ipsam animam beatam, ut subiicit sibi corpus perfectè, & quoad plenum dominium in ipsum. Hanc sententiã iam impugnavit. Secunda sententia reducit causam in aliquam formam positivam, quæ sit ipsa dos, quæ excludit tam actionem, quàm passionem corruptiuam corporis, & temperamenti qualitatum. Probat hæc sententia ex Augustino ad Dioscorum, ut patet ex litera. Declaratur autem resistentia illius qualitatis per exemplum desumptum ex duritie, quæ resistit scissioni, & est quæ-

Sententia asserens, dotem esse formam positivam superadditam corpori.

dam impassibilitas quoad hoc: ita illa qualitas resistit omni actioni.

Hanc sententiã impugnat Doctor primò: quia illa qualitas non est cælestis: quia nec perspicuitas, nec lux, nec lumen: quia corpus humanum mixtum non est capax qualitatis cælestis: vel ergo erit qualitas elementaris, aut propriè mixta: sed siue vna, siue altera, non est sufficiens ad illum effectum: ergo. Patet in exemplo allato: quia licet durities resistat scissioni, non tamen resistit combustioni. Patet etiam ratione; quia omnes formæ eiusdem susceptivi proximi sunt eiusdem generis physici ex Philosopho 5. *Met. textu* 33. & 10. *Met. text.* 22. sed omnes tales sunt contrariæ, aut mediæ, ut patet in loco proximè citato, nec prohibent actionem mutuam, aut passionem: ergo, &c.

Omnes formæ eiusdem susceptivi sunt eiusdem generis proximi.

Sententia Doctoris, impassibilitatem oriri ex mantenentia Dei, non permittentis ut ab aliquo ledantur, vel corrumpantur corpora gloriosa, sicut non permisit pueros ladi ab igne Babylonico: ita Durand. hic quæst. 5. & dist. 44. quæst. 4. Soto hic q. 4. & tribuit D. Thom. in add. quæst. 83. art. 1. & videtur expresse Aug. ep. 146. Mouet tria argumenta in contrarium, & soluit optime.

9 ^h Dico ergo quoddam causa impassibilitatis est voluntas diuina non coagens causæ secundæ corruptiue, & per hoc, est illud impassibile, non potentia remota, sed propinqua: non à causa intrinseca, sed extrinseca impediens, sicut dictum est de impeccabilitate *suprà dist. ista, quæstione de securitate*: exemplum huius de igne in camino, qui non egit ad consumptionem trium puerorum, non quidem per aliquam *quæst. 6.* impassibilitatem intrinsecam pueris, nec ex carentia potentie passiuæ, nec ex contrario intrinseco impediens: sed quia Deus ex voluntate sua non cooperatur ad illam actionem.

Contra hoc, tunc impassibilitas non esset dos corporis beati, quia dos est aliquid intrinsecum ei, cuius est: istud autem Deum velle prohibere causas secundas, ne corrumpant, non est aliquid intrinsecum isti; consequens est falsum, quia videtur contra auctoritatem Augustini ad Dioscor. *suprà adductam.*

Præterea, secundum illam positionem æquè erit dos impassibilitatis in elementis, sicut in corpore Petri: æquè etiam in corporibus damnatorum, quia tam elementa, quam corpora damnatorum præseruabuntur tunc à corruptione. Præterea tertio, tunc videtur esse miraculum in illa præseruatione, sicut fuit in custodiendo tres pueros à læsione: non videtur autem quoddam opera perpetua diuina sint miraculosa iuxta illud Aug. de Ciuit. *Sic Deus res, quas condidit administrat, ut eas agere proprios motus suat.* *Lib. 3. c. 10.*

10 Ad primum illorum, benè potest dos non inesse realiter personæ dotatæ, sicut sponsæ, non inesse illud quod sibi datum est à sponso, quod consuevit aliquando dici dos, sicut habetur *Gen. 34.* ubi ait Sichen, Iacob & filiis eius, *Augete dotem, & munera postulate.* Etiam si dos dicatur illud, quod datur à patre sponsæ, sponso quidem quantum ad vsum, sed remanet penes sponsam proprietas, sicut nunc vstatè dicitur dos; patet quoddam illud non inesse realiter nec sponsæ, nec sponso: sed tantummodò aliquo modo habitum ratione nuptiarum: & ita ratione nuptiarum spiritualium consummandarum in resurrectione dabitur cuicunque beato pro dote, ista assistentia diuinæ præseruans ipsum ab omni corruptiuo, licet illa custodia non insit realiter ipsi custodito.

Aliter potest dici quoddam sicut dotatus habet ius in illo, quod assignatur sibi pro dote; ita hic beatus ex meritis habet ius in ista diuina custodia sibi impendenda: & istud ius præseruationis corporis ab omni corruptiuo per diuinam custodiam est dos in beato, & secundum corpus, quia est ad tutelam corporis.

Ad aliud, patet ex hoc, quia nec elementa habent ius, ut præseruentur à corruptione, nec corpora damnatorum: imò illa præseruantur ad afflictionem propter demerita præcedentia; ista autem propter merita præterita habent ius istud: & hoc ad commodum illorum corporum: & secundum hoc potest dici ad illam auctoritatem Augustini allegatam, quoddam illa sanitas, & vigor deriuatur ab anima in corpus, quia est quædam ordinabilitas ut conseruetur, & vigor, & sanitas à Deo: & ille ordo est corporis, ut præseruetur ex hoc, quoddam est animatum tali anima; quæ anima fuit principium merendi talem sanitatem conseruari à Deo suo corpori; ita quoddam nihil aliud est dicere illam incorruptionem deriuari ab anima in corpus, quam quoddam istud præmium, id est, sanitas conseruata, est præmium incorruptibilis corporis, mediante anima, quæ sicut erat principalior in merendo, ita principalius in natura præmiatur.

11 ^k Ad tertium dico, quoddam magis naturale est coagere corpori beati ad conseruationem eius, contra contrarium corrumpens, quam coagere contrario in corrumpendo: quia causa superior perfectius agit cum secunda perfectiori: & licet hoc nunc esset miraculum de corpore alicuius iusti, quia nunc est tempus mutationis, & actionis mutæ in corporibus: tamen tunc erit status quietis, & immutationis in corporibus, & pro tunc erit naturale, siue consuetum secundum communem concursum, quoddam agat ad quietem, sicut nunc ad motum.

Quid est dos impassibilitatis?

Incorruptibilitas damnatorum quare non est dos.

Quomodo dotes deriuantur ab anima in corpore.

Impassibilitas an erit miraculosa.

Solut rationes pro tribus positionibus illis. Ad primam de dominio animæ super corpus, respondeo, Deus tunc non faciet voluntatem animæ omnipotentem, & ided nec potentem facere quicquid volet fieri, sed sufficit sibi quod quicquid volet fieri, fiet: & sic corpus suum perfectè subdetur voluntati suæ, hoc est, erit sicut volet, sicut ipsa subditur Deo; sed ipsa subditio corporis sui erit effectiue à voluntate diuina. Ad rationem pro secunda, dictum est quomodo intelligitur Augustinus de illa dote quod est ius quoddam in corpore, inquantum est animatum tali anima ad talem præ-

Quam primitatē habet motus calis respectu aliorum motuum.

¹ Ad rationes pro tribus positionibus illis. Ad primam de dominio animæ super corpus, respondeo, Deus tunc non faciet voluntatem animæ omnipotentem, & ided nec potentem facere quicquid volet fieri, sed sufficit sibi quod quicquid volet fieri, fiet: & sic corpus suum perfectè subdetur voluntati suæ, hoc est, erit sicut volet, sicut ipsa subditur Deo; sed ipsa subditio corporis sui erit effectiue à voluntate diuina. Ad rationem pro secunda, dictum est quomodo intelligitur Augustinus de illa dote quod est ius quoddam in corpore, inquantum est animatum tali anima ad talem præ-

seruationem passiuam ab omni corruptione. Ad tertium, concedo quod motus cæli habet aliquam primitatem ad alios, utpote vniformitatis, & velocitatis, sed non primitatem causalitatis, nisi inquantum adducit generans, quod est per accidens, sicut motus ignis ad lignum haberet primitatem ad combustionem ligni, sine tali autem primo benè potest esse posterius, si aliquis suppleat vicem talis primi.

COMMENTARIUS.

16 Conclusio Doctorum hanc impassibilitatem esse radicaliter à voluntate diuinæ.

Probatio.

Quod hac via sit possibilis & facilius.

Saluat quid quid competit doti.

Competit ei quod sit ex radice beatitudinis.

¹⁶ *h* ergo quod causa impassibilitatis, &c. Proponit conclusionem propriam, nempe impassibilitatem corporis gloriosi esse ex diuina voluntate non coagente causæ secundæ corruptionis, sicut suprà dixit permanentiam beatitudinis esse ex diuina voluntate permanentemente agente ad eius conseruationem. Eum sequuntur Tarterus, & reliqui nostræ scholæ hic. Ouandus *propositione 14. Angles in suis floribus art. 5. difficultate 1. concl. 2. Nicolaus de Nisa tract. 7. part. 3. portione 3. quest. 2. concl. 3. & reliqui in hac dist. Maior. quest. 17. Durandus quest. 4. Gabriel. quest. 2. art. 2. conclus. 5. 6. 7. Probabilem docet Salas 1. 2. tract. 2. disput. 14. Palacios dist. 44. disp. 2. Fundamentum conclusionis sumitur ex dictis: quia hic modus est facilius, & saluat quidquid per se requiritur ad dotem hanc impassibilitatis, & subsistit ad perfectiorem causam, magisque conuenerem, & minorem inuoluit repugnantiam: ergo cæteris est præferendus. Antecedens probatur quod sit facilius pater ex dictis: & quia omnes concedunt nullam inuolueret repugnantiam: quia Deus hoc modo potest tribuere impassibilitatem proximam, sicut in camino ignis tribus pueris tribuit impassibilitatem, & pluribus etiam Martyribus, ut legitur in actis suæ confessionis, quibus ignis, & alia tormenta non nocuerunt. Quod autem aliqui affirmant per formam illam infusam concessam fuisse impassibilitatem pueris in fornace, nullo fundamento asseritur, maxime si dicatur illa forma fluere ex beatitudine animæ, tanquam effectus eius. Beatitudo autem non fuit collata pueris: ergo neque aliqua forma per se sequens beatitudinem, nisi dicatur Deum aliter non posse tribuere talem impassibilitatem nisi mediante illa forma, quod nequit dici. Probatur etiam antecedens quoad secundum membrum: quia dato quod impassibilitas conueniat corpori glorioso ex radice beatitudinis, & ex meritis, & sit intrinseca, & supernaturalis, saluatur totum requisitum ad dotem: quod autem hic modus saluet totum hoc collectiue probatur: primò, competit ei ex radice beatitudinis, tum quia impassibilitas tribuitur corpori propter beatitudinem, & ut aptetur tanquam subiectum idoneum animæ beatæ, atque ipsi debitum: impassibilitas autem tollens passionem contrariam, & corruptionem corporis, & dolorem consequentem quod debetur beatitudini permanenti, & ad finem beatitudinis ordinatur; unde autem, & à quam*

causa physica oriatur hæc impassibilitas, per accidens est, modò sequatur ad beatitudinem: quia illa forma, quam statuunt alij, non habet rationem dotis, aut perfectionis, quæ ad propositum facit, nisi ut effectiue, aut formaliter, aut, ut alij volunt, materialiter expellit omnem passionem, & per hoc tribuat impassibilitatem: ergo vndeunque infir impassibilitas intrinsecè corpori, perinde est, modò saluetur effectus præensus, & saluetur dos, ut inhæreat corpori per modum subiecti, reddens ipsum incapax passionis. Quod etiam ex meritis tribuatur hæc impassibilitas, satis per se constat. Quod sit etiam supernaturalis perinde constat: quia à nullo agente creato haberi potest viribus naturæ, neque ab Agente primo, nisi ut supra vires naturæ agit specialiter. Quod tertium est in illo antecedente, nempe impassibilitatem subsistere ad perfectiorem causam, & magis connaturalem, probatur: quia causa impassibilitatis, ut assignatur per formam intrinsecam, reddit causam omnino dubiam, & non probatam; & ut nos putamus, inuoluentem repugnantiam ad hunc effectum. Quod sit dubia, satis patet ex variis modis philosophandi aduersariorum: quorum aliqui putant suum effectum ei conueniri efficienter, alij formaliter, alij materialiter tantum, & quilibet ex his modis inuoluit suam difficultatem. Deinde, deficit in probatione, quæ neque est ostensiva, neque satis firma. Sed conclusio certa fidei, ut declaratur per rationem, non debet subsistere ad causam dubiam, & incertam.

Econtra, refundendo hanc impassibilitatem in primam causam, nihil incerti inuoluit apud Theologos, qui perfectam rationem omnipotentem in Deo statuunt, per quam potest agere ad conseruationem effectus, à se producti vniformiter, & immutabiliter, & suspendere concursum necessarium, & requisitum ex parte causæ corruptionis effectus, & perinde necessariò sequitur impassibilitas, & incorruptio eius: ergo hoc statuendo, veritas hæc subsistit ad certiorum, & perfectiorem causam.

Quod verò sit magis connaturalis etiam effectui, probatur: quia magis connaturale est effectui conseruari ab ea causa, à qua solùm produci potest, & de facto producitur, ut ab ea recipiat conseruationem, à qua & ipsum esse; sed à solo Deo corpus fuit formatum, & reductum ad temperamentum requisitum ad animam beatam, ne in sua beatitudine retardetur ab aliquo impedimento ex parte corporis: ergo sic ipsi est magis connaturalis, ut tam beatitudo, quam perfectio accessoria

Non refert unde sit impassibilitas physica, modò sit ex beatitudine.

Est ex meritis, & supernaturalis.

Impassibilitas ut est immedie à Deo, subsistit ad perfectiorem causam.

Causa ab alijs assignata est dubia, & difficilis.

17 Causa certa & sufficiens impassibilitatis.

18 Impassibilitas ut est à Deo immedie est magis connaturalis.

Dos consistit in utroque iure.

sumendo ergo dorem, ut comprehendit tam ius, quàm etiam præseruationem illam ex iure, potest dici dos; & sic non solum includit intrinsecum bonum conseruationis, & iuris, sed etiam extrinsecam priuationem, qua tollitur causa quæcunque corruptiua, ut non sit potens proximè ad corruptionem. Hoc modo non præseruantur elementa ex debito proprio; sed ad statum, & integritatem vniuersi, neque etiam corpora damnantorum: quæ non habent præseruationem à pœna, & dolore; neque ex fine debiti, aut iuris acquisiti sibi; sed ex fine iustitiæ diuinæ manifestandæ, & consequenter in pœnam, & passionem debitam.

22
Soluitur fundamentum opposita sententia.

Ex hoc soluitur fundamentum sententiæ oppositæ, quod potissimum est ex eo quòd dos sit aliquid intrinsecum. Admittimus enim esse intrinsecum quoad ius, & omnem positium vsum iuris, nempe ipsam conseruationem in effectu, per actionem diuinam, quæ transit in terminum: quoad verò priuatiuum, quod infert in ordine ad extrinsecum, non inest, quia illa assistentia Dei, qua suspendet actionem extrinseci, aut intrinseci corruptiui, respicit immediatè virtutem causarum, quoad hoc suspensam.

August.

Explicatur præterea authoritas Augustini ad Dioscorum epistola 56. *Tam potenti, inquit, natura Deus fecit animam, ut ex eius plenissima beatitudine, qua in fine temporum sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo, qua fruuntur, & intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor, &c.* Quam authoritatè rectè declarat Doctor, nempe vigorem, & sanitatem dari corpori mediante anima, & tanquam præmiu laborum, & quia tali anima beata est animatum, quæ ipsam sanitatem, quæ versatur in temperamento, exigit in subiecto, quamuis à Deo tale temperamento immediatè recipit, ut omnes concedunt, & non ab anima, aut eius beatitudine tanquam à causa physica: anima enim ante sui vnionem supponit corpus sic aptatū: quia tamen in ordine ad animā, & propter ipsam datur, ut finem, & propter merita, quæ in corpore habuit, idèd dicitur redundare ab anima tanquam finali causa scilicet, & meritoria.

Dos ex beatitudine redundans in corpus.

23

Hinc etiam vigor excludens corruptionem eodem modo redundat ex anima, ut supra explicatum est: qui vigor est quidem intrinsecus corpori animato per sui conseruationem in dicto temperamento, ex quo proximè ipse vigor, & sanitas est, excludens corruptionem, siue per intrinsecum, siue per extrinsecum agens. Hanc etiam incorruptionem corporum tribuit idem epistola 146. ad Cosentium, diuinæ virtuti, quæ præseruauit vestimenta, & calceamenta Iudæorum incorrupta quadraginta annis in deserto, &

Tribuit huic effectum diuina virtuti.

tres pueros in camino ignis. Frustrà autem aliqui ex hoc vltimo loco contendunt Augustinum patronum facere prioris sententiæ: nam Augustinus nihil aliud intendit, quàm incorruptibilitatem corporum possibilem esse à Deo siue extrinsecam suspensionem corruptiui, siue per intrinsecam conseruationem ex parte corporis. *Valeat igitur diuina potentia, inquit, de ista visibili, atque tractabili natura corporum, quibusdam manentibus, auferre, quas volueris qualitates: ac per hoc valeat etiam membra mortalia formæ lineamenti manentibus, corruptione verò mortalitatis emortua, stabili vigore firmare, ut absit labe; adsit effigies: adsit motio, absit fatigatio; adsit vescendi potestas, absit esuriendi necessitas, &c.* Hæc conclusio Augustini est ex præmissis, illudque tantum intendit, quod prædictum est, nempe potentiam diuinam posse, & ab intrinsecò conseruare firmitatem, & vigorem corporis gloriosi, & ab extrinsecò remouere corruptionem; suspendendo actionem corruptiui, conseruando vigorem, & temperamentum corporis in eo statu, quo ipsum reparauit, eique vniuit animam beatam.

August.

Declaratur.

Ad tertium, &c. Respondet ad tertiam objectionem præmissam, qua dicitur multiplicari miracula, si Deus non concurrat cum causis naturalibus iuxta virtutem earum innatam. Respondet Doctor esse connaturalia prouidentia ordinariæ status quietis, in quo res omnes deductæ sunt in terminum sui motus, & quietis, non coagere causas corruptiuis: nam stabilis quies naturæ peruenientis ad suum finem id exigit, ut media per morum, & corruptionem, quæ sunt ad finem cessent sine iam acquisito, qui perfectè acquiritur homine, ad quam cætera ordinantur constituto in termino suæ peregrinationis, Deique misericordia, & iustitia sufficienter declarata per finalem sententiam.

24
Ad 3. obiect.

Providentia status immortalis.

Ad rationes pro tribus positionibus illis, &c. Hæ positiones sunt illæ, quæ reducunt impassibilitatem in animam beatam, & eius voluntatem, vel in cessationem motus cæli. Respondet ad primum, quod est ex dominio voluntatis beatæ animæ in suum corpus, dicit quòd sicut illa voluntas non habebit omnipotentiam Creatoris, sic etiam ex proprio imperio non poterit subdere causas naturales, quæ dependent tantum à suo creatore, aut destruere ex efficacia sua physica ordinem earum ad subiectum aliàs capax passionis, ut nata est esse ab illis: sufficit ergo ut ex assistentia perpetua Dei sic subdatur corpus animæ, ut illud fiat circa corpus, quod ipsa anima vult. Ad locum Augustini ad Dioscorum, iam responsum est. Ad tertium, quod fuit de motus cæli cessatione, patet ex litera, & ex impugnatione eius aliàs subiecta in corpore.

25
Ad rationes oppositarum opinionum.

SCHOLIUM.

Circa solut. secundi docet quòd beati habebunt illas sensationes, qui nihil habent imperfectionis comitantis; de visu docent August 22. ciuit. 30. Chrysost. epist. 5. ad Theodorum, Greg. 8. mor. 27. aliàs 31. qui etiam dicunt videre beatos usque ad interna viscera aliorum corpora; & in hac visione, prout ad Christi corpus terminatur, præcipuam corporis beatitudinem consistere, docent Cyprian. serm. de Natiuit. Christi. & August. de Spir. & anima. cap. 4. & in manual. cap. 26. de auditu idem tenent communiter Theologum Doctore hinc, & D. Thom. dist. 44. quæst. 2. art. 2. & constat ex conuersatione Christi post resurre

resurrectionem cum Apostolis, docet August. in id Psalm. 149. exultabunt sancti. Laurent. Iust. de discipl. & perfect. Mon. cap. 23. licet D. Bonavent. hic ar. 3. quæst. 1. dubitet, de odoratus nihil est certum; tamen August. seu auctor lib. de spir. & anima cap. 58. idem asserit, quod de visu & auditu, cumque constet corpora varia Sanctorum sepulta, suauem odorem sæpius emisisse, id concedendum est corporibus gloriosis, de gustu Doctor hic dubitat, & de tactu non loquitur: tamen actus horum competere beatis tenent Anselm. de similit. cap. 57. & Laurent. Iust. de disciplina & perfect. Monast. cap. 23. & colligitur ex Prospero, lib. 1. de vita contempl. cap. 4. Ad tertium, quod ait esse simpliciter naturale, quod aqua sit sursum, nè detur vacuum, intelligit esse naturale respectu vniuersi, non respectu aquæ, ut constat ex ratione, quam subdit, & intento solutionis, & quia 3. dist. 27. num. 13. expresse docet aquam non inclinari sursum, nè detur vacuum, quia eius forma est naturalis determinata ad deorsum: per hoc facile concorda apparentem contradictionem inter hæc duo loca.

12 ^m **A**D rationes principales. Ad primam, si concedatur auctoritas Gregorij, quæ tamen non videtur necessaria; quare enim non posset palpari cælum à digito ibi existente, hoc modo intelligendo palpationem, quod illud corpus subtiliter resisteret tactui; licet non immutando per aliquam qualitatem sensibilem sibi derelictam, utpote, nec ut durum, nec ut molle, nec ut calidum, nec ut frigidum, &c. quod autem palpatur secundum aliquam qualitatem sensibilem immutando tactum, benè est corruptibile, sibi derelictum: & ita non plus sequitur, nisi quod illud corpus, si non præseruaretur à Deo, esset passibile passione corruptiua.

Ad arg. 1. In corruptibile potest palpari & tangi, non realiter, sed intentionaliter.

ⁿ Ad secundum dicitur, quod omnes sensus beati erunt in actu suo. Ratio est ad hoc, quia quælibet sensatio est propria perfectio sensitiui. Tamen non video necessitatem, quod sensus pertinentes ad nutritionem tunc sint in actibus suis: cum tunc nutritio non sit necessaria, quia non erit corpus animale, id est, indigens alimentis. Aliqui tamen benè possunt poni in actibus suis, quorum actus non requirunt imperfectionem concomitantem, sicut visus, & auditus, qui sunt magis spirituales: de visu nullus dubitat, nec de auditu, si est ibi sonus, & possibilis multiplicari, & immutare auditum.

D. Thom. in 4. d. 44. art. 2. Rich. dist. præf. art. 4. q. 3.

13 Cum arguitur, quod talis immutatio non est sine immutatione reali corruptiua: nego, quia aliquando est maior immutatio intentionalis, & minor realis, & è conuerso, ut dictum est aliàs in isto 4. dist. 44. quæst. 3.

Ad probationem, *excellens sensibile*, &c. concedo quod nunc concurrunt illæ duæ immutationes simul, quia actiuum est potens agere vtraque actione, & passiuum vel idem, vel coniunctum est, vel receptiuum vtriusque actionis, & ideo nunc vtraque actio simul est in eodem passo, vel in vtroque passo, similiter coniuncto; licet quandoque vna maior, & alia minor, secundum dispositionem passi ad hanc, vel illam: tunc autem non præseruabit Deus organa sensuum ab vna passione eorum, quia non est ad perfectionem eorum sic præseruari: præseruabit autem totum corpus ab alia actione, quia hoc est ad benè esse, quod corpus meruit mediante anima, vel anima ipsi corpori, vel totum ipsi corpori principaliter per animam.

Excellent sensibile quare corrumpit sensum, & quæ immutatione.

^o Ad tertium, si negatur elementa esse realiter in mixto; patet responsio. Si autem non negatur, dico quod illud est simpliciter violentum, quod opponitur simpliciter naturali, & magis violentum quod opponitur perfectiori naturali, & minùs quod minùs naturali. Exemplum, aquam esse sursum, ut saluetur plenum in vniuerso, non est simpliciter violentum, imò si tunc descenderet relicto vacuo superius esset simpliciter violentum, & secundum *quid*, naturale: quia natura totus vniuersi magis est principium naturalitatis, quàm natura ista particularis, & magis naturale est, quod tali toti conuenit, quàm quod propriè huic parti; corpus autem mixtum, & maximè humanum perfectius quoddam est naturale quocunque elementorum: & ideo quod naturale est illi corpori, hoc est simpliciter magis naturale, quàm quod esset naturale vnicuique elementorum secundum se. Magis ergo naturale est, quod conseruetur corpus hominis, & elementa violentè in eo, quàm quod violentè dissoluatur corpus hominis, & vnumquodque elementum sua naturalitate tendat in suum proprium locum.

Ad arg. 3. Vide 15. dist. 2. & sup. d. 43. Grane non descendere nè detur vacuum, est naturale: concorda cum Doct. 3. dist. 27. num. 13.

Nullū violentū perpetuū, non admittitur à Theologo.

Ad 4. Quando actus repugnat actui, possibilitas adhuc stat cum illo, sed non cum necessitate illius.

Tex. 17.

Com. 138.

In perpetuis secundum Arist. idē est esse & posse, sicut in divinis secundum fidem.

Com. 41.

Ista autem propositio, *nullum violentum perpetuum*, non est necessaria Theologis, loquendo de violento contra naturam particularem huius: quia Deus potest conservare aliquod particulare perpetuū sub opposito eius, ad quod naturaliter inclinatur: sed apud Aristotelem erat vera, quia omni potentia passiva ponit in tota coordinatione causarum activarum correspondere aliquam causam, quæ aliquando necessario reduceret eam ad actum: ergo illa potentia naturalis aliquando reduceretur ad actum, & ita violentum sibi oppositum corrumpetur.

^P Ad aliud de *1. Cali & mundi*. Respondeo, quando actus repugnat actui, licet possibilitas ad illum actum stet cum illo, & magis cum possibilitate ad illum: tamen possibilitas ad istum non stat cum necessitate illius, quia si ille est necessarius, iste est impossibilis, quia repugnans necessario est impossibile: ideo si Plato dixit cælum contingenter se habere ad corrumpi, vel deficere; & etiam contingenter ad perpetuū servari à Deo; nihil valet ratio contra ipsum, quod posito possibili sequitur impossibilitas, quia in talibus ubi uterque actus est contingens divisi, ex positione possibilis in *esse*, non surgit nova impossibilitas.

Exemplum, curram cras, possum non currere cras, ponatur in *esse*, nulla impossibilitas oritur. Si autem posuit alterum dictorum necessarium esse, vel probetur quod ex possibilitate, quam concedit, sequatur gratia materię, necessitas: tunc ponendo aliud possibile in *esse*, non habetur nova impossibilitas, sed quæ nunc est manifesta inter *inesse* necessarium, & *non esse* oppositum, prius fuit inter *non esse* necessarium, & possibile.

Et hoc modo debet exponi ratio Aristotelis; vel si accipiendo à Platone, si dedit quod cælum necessario perpetuabitur à Deo, & tunc ponere in *esse* illam, possibile est cælum corrumpi, vel desinere; sequitur impossibile, non propter positionem possibilis, quia comparando ad oppositum necessarium, non est nova impossibilitas; vel si non dedit, probandum est sequi ex dato; quod quidem verum est secundum Philosophum, quia secundum eum *nano Metaphysica*, quodcumque sempiternum est necessarium: & ita si potest esse sempiternum, necessarium est sempiternum: & ita

Commentator pertractare videtur rationem illam de cælo, & mundo: quia natura mutaretur, si de possibili fieret sempiternum: vel duæ naturæ oppositæ simul essent in eodem; quod expositum est *dist. 8. 1. quest. ult.*

Aliter probatur sequi ex dato, quia Deus quicquid immediatè agit, necessario agit secundum Philosophum; ex hoc procedit *in princ. 8. Physic.* Et hæc secunda probatio concludit aliam necessitatem, quia inevitabilitatis, quàm prima, quæ concludit aliquam necessitatem intrinsecam. Secundo modo motus cæli est necessarius, non primo modo *11. Metaphys.* utroque modo deducendo necessitatem ex actu, vel possibili dato à Platone. Positio alterius possibilis in *esse* manifestat positionem esse inconuenientem, quia includentem contradictionem: quia sicut nunc est contradictio actus ad necessitatem, ita prius fuit possibilis ad eandem, licet minùs manifesta.

COMMENTARIUS.

26 Ad rationes principales.

Immutatio intentionalis non repugnat corpori glorioso.

Ad 1.

Responsio.

^m **A**D rationes principales, &c. *Ad primam, &c.* Hoc fuit ex Gregorio super illis Ioann. *20. infer digitarum*, &c. Corrupti necesse est quod palpat, &c. Corpus gloriosum Christi palpabile est, ergo corruptibile. Respondet intelligendum esse de palpabili inferente passionem, non verò de ea, quæ non infert passionem, licet aliquam resistentiam ex quantitate, quæ est sensibile commune.

Dices quodd sensibile commune non habeat actum sine proprio: ergo, &c.

Respondetur, ut patet ex sequenti, quodd immutatio intentionalis, quæ non est corruptiva, non repugnat corpori glorioso.

ⁿ *Ad secundam, &c.* Hoc fuit, quodd si corpus gloriosum sit impassibile, non poterit sentire aliquod sensibile, quia omne sensivum potest corrumpi per excellens sensibile: ergo. Respondet secundum aliquos in statu gloriæ fore omnes sensus in suo actu. Dicit tamen non videri ne-

cessarium, ut illi sensus sint in actu, qui ordinantur præcisè ad nutritionem: quæ cessabit in illo statu. Vide circa hæc Scholium præmissum, & modernos, maximè Lusitanum *lib. 4. in tertio tom. de beatitudine*, ubi copiosè agit de singulis potentiis sensitivis, & eorum actibus in corpore glorioso: negat Doctor in glorioso corpore fore passionem læsivam à sensibili excedente.

^o *Ad tertium, &c.* Hoc fuit, quodd nullum violentum sit perpetuum; sed corpus gloriosum habet in se quatuor elementa, quæ præter vnum sunt extra locum naturalem, ad quem inclinatur: ergo in statu violento. Respondet in naturali dari quosdam gradus, ita ut id, quod est secundum inclinationem totius, sit magis naturale, & secundum maiorem, & perfectiorem inclinationem naturæ, quàm illud, quod est secundum inclinationem partis. Proinde, corpus gloriosum constans elementis (modò in illo sunt formaliter, quod ipse aliàs negat) magis est secundum perfectionem naturæ, & oppositum magis violentum naturæ, quàm sit conservatio corporis: deinde, illa propositio: *nullum violentum est perpe-*

14

15

An sensus habeant suos actus in gloria.


Ad 3.

Diversi gradus naturalitatis.

ium, &c. Non est necessaria apud Theologos: qui id fieri diuina potentia concedunt: sed apud Philosophum ex errore suo peculiari de necessitate cause primæ in agendo est necessaria: quia diceret omni potentia passiuæ correspondere

aliquam actiuam, quæ necessariò reducit passiuam in actum.

P. *Ad aliud de primo cali, &c.* Hoc fuit quantum in ordine, quod est argumentum Philosophi contra Platonem. Vide responsionem in textu.



Q V Æ S T I O X I V.

Utrum corpora beatorum erunt agilia?

D. Thom. in addit. quæst. 84. art. 1. & 4. dist. 44. quæst. 2. art. 3. Richard. hic art. 3. quæst. 7. Maior. quæst. 18.

D. Bonauent. 2. part. art. 4. quæst. 1. & 2. Gab. dist. 44. quæst. 2. art. 2. Suar. 3. part. tom. 2. disp. 48. sess. 4. Vide Scot. 9. Metaphys. quæst. 14.

I

V T R U M corpora beatorum erunt agilia? Videtur quod non; quia nihil erit ibi frustra: sed agilitas poneretur ibi frustra, quia non poneretur, nisi propter motum localem, qui non erit ibi; tum, quia omnis motus ut sic, est actus entis imperfecti, quia entis in potentia; sed beati non erunt imperfecti: ergo, &c. Tum quia primus motus non erit, qui est causa aliorum motuum: tum quia tempus non erit: omnis autem motus est in tempore.

Aduerte, quod diuersificatur originalia in seq. & præced. huius dist. & seq.

Præterea, si haberent corpora resurgentium agilitatem, non indigerent alio motore ad iudicium, vel adiutore ad mouendum; sed hoc non est verum, quia secundum Apostolum rapiuntur ab Angelis *in nubibus obuiam Christo, &c.*

Arg. 1. Arg. 2. Arg. 3.

Præterea, beati secundum merita sua erunt indeterminata approximatione ad Christum; sed illi, qui erunt propinquiore nollent moueri ad locum remotiorem, quia amitterent eorum præmium in parte, ad tempus: nec è conuerso, quia eorum meritis non congruit.

Præterea 2. de Cæ. Quando aliqua sunt perfectiora, tantò paucioribus operationibus attingunt perfectionem suam; sed tunc erunt beati, & corpora eorum perfectissima: ergo non indigent motu locali, ut sic operentur diuersimodè ad suam perfectam beatitudinem consequendam.

Arg. 4. Text. 62.

Contra, Sap. 3. dicitur, quod *tanquam scintilla in arundinetis discurrent.* Et Isai. 40. *Qui sperant in domino, mutabunt fortitudinem, assumunt pennas ut aquila, volabunt, & non deficient, current, & non laborabunt.*

Rat. opp.

S C H O L I U M.

In quolibet sensitivo esse duos motus; alterum prouenientem ab elemento prædominante, ut descendere in graui, alterum ab anima, ut progredi. Differunt tripliciter. Primò ratione principiorum diuersorum. Secundò, primus motus non sequitur cognitionem, sed appetitum naturalem, & ideo semper est ad unum situm. Secundus, quia sequitur cognitionem, non est semper ad unum situm, vel locum. Tertiò, mobile à primo motu, non potest se sistere, à secundo sic. Describit agilitatem, ad quam duo requiruntur, scilicet perfectio virtutis motiue, & dispositio corporis nè motui locali resistat.

2

R Espondeo, hic sunt breuiter quatuor, vel quinque videnda per ordinem. In quolibet composito sensitivo sunt duo motus, & hi differunt in triplicem.

Primum est, quod in homine, & in quolibet composito sensitivo, est duplex motus: vnus secundum exigentiam elementi prædominantis secundum quantitatem, sicut motus deorsum propter prædominantiam terræ in corpore humano secundum quantitatem; alius est motus non ratione talis elementi prædominantis, sed ratione, qua animatum est, & est motus progressiuus.

Differunt autem isti motus secundum tria: vno modo ex parte principiorum, quia principium vnus motus est mixtum per naturam elementi prædominantis: & ideo post mortem, quando maximè illud elementum prædominatur, redditur corpus grauius: principium autem alterius motus est in anima.

Secundò differunt, quia motus, qui consequitur animatum ratione corporis, non

sequitur cognitionem, sed appetitum naturalem illius corporis: & ideò est ad vnum, sicut appetitus naturalis ad vnum determinatur. Alius autem motus, qui est ratione animæ, sequitur apprehensionem, quæ non est semper respectu vnius loci, & situs, sed nunc respectu vnius, nunc respectu alterius: ideò appetitus animalis sequens cognitionem non est respectu vnius situs, propter quod ille motus non est semper secundum eundem situm, nec semper ad eundem locum. Tertio differunt, quia animalia in illo motu, cuius anima est principium, possunt se sistere per intrinsecum; brutum enim quamuis non moueatur liberè, potest tamen cum alio occurrente apprehenso se sistere: sed in alio motu non potest se sistere, sicut nec elementum prædominans in ipso potest se sistere in motu suo.

*Definitio
agilitatis.*

*Qua requi-
rantur ad
agilitatē.*

Secundo videnda est ratio nominis agilitatis. & dico quòd ratio eius in communi est, quòd agilitas est habilitas in aliquo ad promptè mouendum se, eo motu cuius principium est anima. Corpus enim agile mouet se secundum locum, non motu naturali, cuius principium est elementum prædominans, sed anima; quorum motuum differentia patet ex articulo præcedente, & quia agilitas non potest esse in aliquo toto ad faciliter mouendum se, nisi concurrente virtute motiua & mobili, ideò ad rationem agilitatis in speciali requiritur perfectio virtutis motiue in anima, & congrua dispositio, non repugnans illi motui ex parte corporis. Est ergo in speciali agilitas habilitas in aliquo toto ad promptè mouendum se secundum locum, ex perfectione virtutis motiue animæ, & congrua dispositione corporis.

COMMENTARIUS.

*Ordo, & di-
uisio quæst.*

Art. v.

*Motus natu-
ralis.*

Progressiuus.

*Differentia
viriisque.*

Respondeo: hic sunt breuiter, &c. Diuidit quætionem in quinque membra, seu articulos. In primo distinguit duplicem motum in animalibus; alium naturalem, alium progressiuum. In secundo describit quid sit agilitas. In tertio agit de motu non organico corporis per animam. In quarto de dispositione corporis requisita ad agilitatem, & an requiratur aliqua qualitas in corpore, & resoluit quætionem. In quinto resoluit non requiri qualitatem supernaturalem ad hoc munus. Deinde, respondet ad obiectiones pro opinione, & ad argumenta principalia.

Primum est, quòd in homine, &c. In hoc articulo docet in homine, & quolibet sensitivo esse duplicem motum. Alterum ex natura prædominantis elementi secundum excessum: v. g. motus deorsum ob prædominationem terræ in corpore humano; & hic motus est naturalis.

Alius est motus conueniens, quia animatus est, & supponens apprehensionem, & hic dicitur progressiuus. Differunt hi motus primo ratione principiorum: quia prior motus oritur à na-

tura elementi prædominantis, ideòque manet in mortuo, in quo ex absentia animæ tunc maximè dominatur elementum, vt fiat corpus tunc grauius; secundus motus est ab anima in mixto. Differunt secundo, quòd prior non sequitur cognitionem, sed appetitum naturalem, ideòque semper est respectu vnius situs. Secundus verò sequitur cognitionem, quæ sicut non est semper ad idem, ita neque motus eam sequens est ad eundem situm. Tertio differunt, quòd mouens se progressiuè se possit sistere, non ita mouens se naturaliter; potest enim mutari affectus in appetitu sensitivo, qui affectus est determinans ad motum: non ita potest mutari natura in mixto, vt est principium motus naturalis.

Secundo videnda est ratio nominis, &c. In hoc articulo breuiter describit quid sit agilitas in communi, dicens esse habilitatem in aliquo ad promptè mouendum se eo motu, cuius principium est anima. Ad hanc requirit virtutem motiuam in anima, & dispositionem congruam in corpore. Subdit dispositionem specialem agilitatis: quid sit agilitas in aliquo toto ad promptè mouendū se secundum locum ex perfectione virtutis motiue animæ, & congrua dispositione corporis.

*Cur motus
naturalis sit
ad eundem
situm, non ita
progressiuus.*

*Art. 2.
De ratione
nominis, &
quid sit agi-
litas?*

SCHOLIUM.

Animam posse mouere non organicè. Primo, quia corpus potest, licet non progressiuè, tendere in suum locum, & aliud sibi annexum eo trahere. Secundò, hoc non repugnat anime ratione intellectualitatis, aliàs & Angelo: nec ratione imperfectionis, quia perfectiores actus ei conueniunt. scilicet velle, & intelligere. Tertio, corpora gloriosa sic mouebuntur iuxta id, Volabunt, & non deficient, & non nisi ab anima: de quo supra dist. 10. quæst. 7. Ostendit utrumque mouendi modum ab vna, eademque virtute motiua esse posse, licet eadem potentia operatiua non posset esse organica, & non organica simul; quod optimè explicat.

Tertio videndum est de illa virtute animæ motiua, de qua certum est, & manifestum quòd est ad vnum modum mouendi corpus: sed quod habet alium modum mouendi corpus, non est ita manifestum: est enim virtus in anima ad mouendum

mouendum corpus organicè per modum aliarum partium organicarum: sicut patet in motu progressiuo, vbi vna pars mouetur, mota alia per virtutem motiuam animæ: sed quòd habeat alium modum mouendi, aut quòd in anima sit virtus alia ad mouendum alio modo, quàm organicè, ipsum corpus, non est ita manifestum, nec in homine, nec in aliis animalibus, in quibus manifestum est, quòd in anima est virtus ad mouendum organicè corpus, vt mota vna parte, quiescat alia, secundum quòd determinatur à Philosopho *in libro de motu animalium*: sed quòd in anima hominis sit virtus motiuam alio modo mouendi, non est manifestum.

Quid motus organicus?

Sed tamen inquiritur, per rationem, scilicet ex conditione animæ: primò, quia videtur inconueniens, quòd anima in aliquo loco existens non posset se mouere de illo: quia sic quantum ad hoc esset imperfectior quàm corpus, quod potest moueri de loco, quamuis non liberè, nec progressiuè; & præcipuè secundò est inconueniens hoc propter hanc rationem: illud agens potest in aliquem terminum, quod potest habere in virtute sua actiua terminum illu: sed terminus motus localis non est nisi vbi, & ille terminus est imperfectior termino cuiuscunque alterius motus, & idè nullum est corpus ita imperfectum, quod non habet in virtute istum terminum, & similiter ad mouendum aliud ad istum terminum: quia lapis trahit secum ad locum suum aliud si sibi coniungatur; cùm ergo anima sit susceptiua istius termini, quia est in loco diffinitiuè: & per consequens sibi competit vbi diffinitiuè: oportet, quòd habeat in virtute sua actiua istum terminum: ergo anima separata potest se, & aliud corpus mouere de loco ad locum: non tamen organicè, quia anima non habet organa de se: ergo, &c.

Animam posse mouere corpus non organicè, de qua supra d. 10. quest. 7. Motus ad vbi, aliis imperfectior.

Et confirmatur, si repugnat animæ separatæ mouere se, & aliud corpus, aut hoc esset ex intellectualitate sua, aut propter imperfectionem suam: non primo modo, quia mouere se, & aliud corpus, conuenit naturæ intellectuali, vt Angelo, qui potest mouere se & cælum: nec secundo modo, quia conuenit corpori, quod est ens imperfectum. Similiter anima habet in virtute sua formam perfectiorem, scilicet *intelligere & velle*; non ergo sibi repugnat ratione imperfectionis.

Præterea, corpora glorificata post resurrectionem mouebuntur ab anima, & non organicè, sed totum corpus simul mouebitur, non vna parte mota, & alia quiescente, quia *volabunt, & non deficient*: hæc autem motio simul totius corporis non est per organa: ergo in anima est virtus alia quàm illa, quæ potest mouere organicè.

Sed estne vna & eadem virtus cum alia? si esset eadem, tunc posset dici, quòd anima posset modò mouere corpus non organicè, nisi esset impedita. Videtur autem quòd sit alia virtus: quia videtur quòd virtus organica, & non organica sit alia & alia virtus, vt patet in intellectu, & sensu, & de appetitu intellectiuo, & sensitiuo: ergo similiter in proposito virtus organica, & non organica est alia & alia virtus.

Veruntamen non videtur mihi ponendum, eam aliam virtutem à motiuam organicè, quia nunquam est ponenda pluralitas sine necessitate: sed non est necesse ponere duplicem virtutem motiuam in anima respectu corporis sui mouendi: potest enim vterque motus saluari ponendo eandem virtutem motiuam in anima: ergo, &c.

Eandem esse virtutem animæ ad mouendum organicè, & non organicè.

Assumptum declaro sic: aliqua perfectio potest competere animæ secundum se, secundum quam est principium alicuius effectus; non tamen potest ipsum exequi in remotiori, nisi exequatur effectum illum in propinquiore, sicut anima non potest animare partem remotiorem à corde, nec dare sibi vitam organicè, nisi det cordi vitam, quò mediante influat vitam in cæteras partes magis distantes, sicut patet per Philosophum *in lib. de Animalibus*: & hoc est, quia cor est magis dispositum ad suscepiionem vitæ, quàm alia pars: à simili ergo, licet aliqua potentia in anima sit ad causandum motum in corpore: tamen impossibile est, quòd causet in parte remotiori minùs disposita, nisi causet illum in parte propinquiore magis disposita: & idè pro aliquo statu, in quo pars propinqua est magis disposita, quàm remotior, non potest anima causare motum in remotiori parte, nisi prius in propinquiore causet motum. Si autem ista eadem virtus possit habere partem remotam ita dispositam, sicut propinquam, potest pro illo statu immediatè causare motum in quamlibet partem: sed exequi motum in parte remotiori mediante propinquiore, est mouere organicè, æquè autem immediatè causare non organicè: ergo eadem virtus animæ, quæ mouet organicè, potest mouere totum corpus non organicè pro statu illo, in quo omnes partes erunt æquè dispositæ ad recipiendum motum.

Quid est mouere organicè, & non organicè.

Et secundum hoc est dicendum, quòd est eadem virtus, quæ modò mouet corpus organicè, & post resurrectionem mouebit non organicè: inconueniens enim est

quòd homo careat nunc aliqua perfectione secundum totam suam speciem, quæ sibi naturaliter congruit, & cum illa virtus, qua anima post resurrectionem mouebit corpus, sit sibi naturalis, quia nulla potentia animæ tunc dabitur noua; sequitur quòd nunc habet illam potentiam: & quòd illa virtus, siue potentia nunc in vita mortali non impeditur à suo effectui, sed tantum in modo causandi effectum suum.

*Si partes
corporis, ef-
sent æquè
dispositæ,
æquè primò
animaren-
tur.*

Exemplum, si ex falsa hypothesi ponatur, quòd omnes partes corporis essent æquè dispositæ ad recipiendum motum, siue vitam, anima æquè daret esse vitale cuilibet parti, & hoc æquè immediatè: sed quia non sunt æquè dispositæ, non potest causare vitam in parte remotiori, nisi prius causet in parte propinquiore: sic in proposito de mouere organicè, & non organicè.

Sed tunc restat respondere ad instantiam prius factam, quomodo possibile sit, quòd eadem potentia motiua sit organica, & non organica, cum hoc non conueniat aliis potentiis, nec apprehensiuæ, nec appetitiuæ. Præterea, secundum responsionem dictam, potentia motiua in homine secundum se non est organica, sed per accidens; ut quia pars vna modò magis disposita, quàm alia, idèd magis mouet, & prius partem propinquiorem, quàm remotiorem minùs dispositam.

*Eadè potè-
tia operati-
ua nō potest
esse organi-
ca, & non
organica.*

Ad primum, respondeo quòd potentia operatiua non potest eadem existens esse organica, & non organica: quia potentia operatiua, & organica, est illa, cuius operatio per se & primò recipitur in toto composito ex organo, & illa potentia; & operatio quæ sic primò recipitur in toto, contradictio est, quòd recipiatur in parte primò, ut quòd visio recipiatur in anima separata, & quòd anima separata dicatur videns. Vnde quando totum est immediatum susceptiuum alicuius formæ, non vna pars mediante alia, tunc impossibile est, quòd illa forma recipiatur in altera parte. Non autem sic est, quando totum recipit mediante vna parte, ut corpus recipit albedinem mediante superficie: nunc autem potentia operatiua recipit suam operationem: si ergo posset esse non organica, tunc reciperet operationem, quæ primò nata est recipi in toto, quod includit contradictionem; & idèd eadem potentia operatiua non potest esse organica, & non organica.

*Potentia
actiua, vel
factiua, po-
test esse si-
mul orga-
nica, & nō
organica.*

Sed de potentia actiua, siue factiua non est inconueniens, quòd eadem existens sit organica, & non organica, quia illa potentia non causat actum informantem se, sed effectum in alio: idèd non sequitur contradictio, quòd sit organica agendo mediante aliquo organo, & non organica, agendo immediatè per propriam virtutem sine aliquo organo. Nunc autem mouere non est operatio, nec causatur in illo necessariò, in quo est potentia motiua, & idèd ponitur motiua alterius: & non est potentia operatiua, sed est potentia factiua, quæ causat motum in alio: & talis potentia potest esse causatiua motus in pluribus partibus immediatè, si omnes sint æquè dispositæ ad receptionem motus, & tunc mouet non organicè: si autem non sint omnes æquè dispositæ, tunc potest mouere vnam partem corporis mediante alia; & sic mouet organicè, & sic anima separata potest mouere corpus suum immediatè, utpote cadauer, quia non excedit virtutem suam motiuam: & similiter quando est in corpore, potest mouere organicè, idèd ex parte sui habet virtutem mouendi organicè & non organicè.

*Quare ea-
dem potètia
apprehensi-
ua nō potest
esse organi-
ca, & non
organica.*

Patet ergo quare est impossibile de potentia apprehensiuæ, & appetitiuæ, quòd eadem potentia sit organica, & non organica, quia sunt potentie operatiuæ: non autem est impossibile de potentia motiua, quæ non est operatiua, sed factiua.

Ad secundum, dicendum quòd actio non potest esse æquè primò totius, & partis, & idèd cum anima potest mouere per se, & primò totum corpus, & partem eius, ut quando perficiet corpus post resurrectionem, necesse est dicere, quòd totum compositum ex organo, & potentia motiua animæ non primò mouet, sed per se, non primò: ipsa autem anima primò: sicut ignis dicitur calefacere per calorem per se, tamen calor primò calefacit, quia calefaceret, si esset separatus: sic totum compositum ex anima & organo dicitur mouere; & per se, & denominatur ab actione, quæ primò conuenit animæ, quæ moueret æquè primò omnes partes, si essent æquè dispositæ ad motum: & similiter cum non sit maior ratio, quare in vna parte cordis moueat aliam partem, quàm in alia parte, cum totum cor sit vniforme secundum partes: videtur quòd anima primò moueat non organicè aliquam partem: & concedo quòd accidit animæ, quòd per vnam partem quiescentem moueat aliam. Et idèd dico, quòd primò & per se non est organica: potest tamen denominari quæcunque pars alia composita à motu, & dici principium motus denominatiuè, ut cor ex anima, & parte illa cordis dicitur per se mouere aliam partem.

norem cum sua probatione Inquantum supponit præcisè per appetitum rationalem applicati motum potentiam hominis ; quamvis verum sit quòd etiam per voluntatem applicari possit , & per eam solam applicatur forte in beatis , quoad motum non organicum.

20

*Quomodo senti-
tina sint
proprietates
animalis.*

Ad secundam confirmationem , responderetur in primis falsum supponi, nempe potentias senti-
tinas esse proprietates animæ sensitiuæ, licet ex radice eius oriantur, vel oriri possint, vt in bruto: sunt enim proprietates totius, quæ constant ex anima, & corpore, seu mixto, vt organo. Ad saluandas autem proprietates totius in homine sufficit quòd ex anima habeat quæcunque principia operandi operationes sibi conuenientes, & ad quas ordinatur: hoc autem habet in proposito perfectiori modo, & à perfectiori principio sicut constituitur à perfectiori anima. De his ergo proprietatibus physicis aliter differendum est, & de proprietatibus metaphysicis, quæ consequuntur totum metaphysicum per differentiam sui constitutiuam; nam in proprietatibus physicis, quæ sunt totius primò, licet ex partibus; non est sic differendum quasi fluant à sola forma constitutiuæ eius: quia hoc est falsum; licet principaliter à radice formæ oriantur. Conueniunt enim ex partibus componentibus radicaliter; sequuntur tamen ipsum esse totius substantialis, quod diuersum est à partibus. Sicut ergo totum physicum attenditur penes compositionem ex materia, & forma physica, & secundum physicam compositionem, ita etiam forma, vt ex radice eius oriuntur proprietates, consideratur in esse physico, & simplici secundum esse reale; qua ratione Concilium Viennense definiuit animam rationalem, quæ rationalis est, esse formam corporis: per eam sic sumptam in esse simplici physico tribuitur principium motus homini, perfectiori modo, quam illud habet brutum ab anima sensitiua materiali, quæ vulgò ab Animalis appellatur sensitiua tantum, ad differentiam animæ rationalis, quæ est forma hominis. Et sicut illa particula exclusiua denotat imperfectionem formæ, sic

*Aliter sen-
tiendum de
proprietati-
bus physicis
& metaphy-
sicis.*

*Anima ra-
tionalis vt
sumitur phy-
sicè.*

etiam ex eadem imperfectione ei conuenit, vt non possit constituere seipsa totum in ratione principij motus progressiui, sed ex concursu materiae: non ita rationalis, quæ sicut potest esse seorsum à materia, ita etiam ei competit habere principium completum sui motus; quem motum communicat toti, & materiae prout est capax, & disposita ad motum. Ac proinde superfluit aliud principium motus in homine, quamvis necessarium sit in bruto: Metaphysicus autem comparans vtrumque vt conueniunt in esse animalis, abstrahit conceptum communem seclusis imperfectione, & perfectione, aliisque differentiis.

Concedo ergo quòd ita conueniant in conceptu abstracto, homo, & brutum in esse sensitiui nego tamen principium motus progressiui eiusdem rationis formalis in vtroque, aut fluere in homine à conceptu abstracto animæ sensitiuæ, licet ab eadem realiter oriatur, vt est talis forma physica, & specie physica diuersa in genere immateriali: in bruto enim conceptus potentiae motuæ abstrahitur à toto: in homine verò abstrahitur à forma sola, quæ inadæquatè concipitur, vt agit motu progressiuo: & negatur consequentia illara: sic enim possumus abstrahere conceptum communem calidi ab igne, & aqua: quamvis aliter se habeat calor ad vtrumque, quia vt proprietas ad ignem, vt forma violenta ad aquam: in igne procedit à principiis subiecti, in aqua verò à causa extrinseca, quæ est consideratio vtriusque formæ in esse physico in homine; eodem modo dicendum de motu progressiuo hominis, & bruti posse abstrahi communem conceptum ab vtroque, licet supponant diuersa principia proxima. Item, de aliis potentiis sensitiuis in homine, & bruto patet: quia licet aliter, & aliter constituentur in bruto, nempe per animam secundum partem, & non secundum se totam, in homine secundum totum esse animæ, quod facit diuersitatem physicam genericam, & specificam: tamen hoc non attenditur à Metaphysico, qui de illis agit sub ratione transcendentis, & abstracto.

*Potentia mo-
tina in ho-
mine sequi-
tur animam,
in bruto verò
totum.*

S C H O L I V M.

*Per nullam qualitatem reddi corpus beati agile ad mouendum se ad omnem locum
& situm, probat quatuor rationibus clariis.*

*Rich. pref.
d. 4. ar. 9. 7.
D. Thom.
q. 2. a. 3. q. 1.*

^f Quid est videndum de illa dispositione ex parte corporis, quæ requiritur ad agilitatem, & est hæc vna opinio, quæ ponit quòd illa dispositio ex parte corporis est aliqua qualitas, per quam corpus redditur habile, vt moueatur ab anima secundum eius virtutem motiuam; & per illam qualitatem, vt dicunt, auferuntur illa, quæ modò impediunt, nè corpus faciliter moueatur ab anima sine labore; vnde auferitur grauitas, quæ impedit.

10

*Corpus glo-
riosum non
reddi agile
per quali-
tatem.*

Et probatur per Augustinum, 21. de Ciu. Dei. cap. 10. vbi dicit, quòd tunc pondus graue corporis auferetur.

^g Istam opinionem non intelligo, quia quòd maneat corpus hominis, & dominetur in eo terra, & tamen non maneat grauitas, est omnino inconueniens, sicut dicere, quòd fiat Sol, vel aliud corpus caeleste, & dominetur in ipso terra; & quòd non maneat grauitas, manente terra, esset idem dicere, sicut quòd remaneret lapis, & non esset durus: non video ergo, quòd per illam qualitatem tollatur grauitas: anima enim humana non perficit corpus quocunque modo dispositum: si enim esset corpus hominis ita densum, sicut aurum, non esset perfectibile ab anima: ita si non haberet grauitatem, & alias qualitates naturales suas, non esset perfectibile ab anima.

Præterea,

Præterea, corpus hominis non est capax leuitatis : quia quando aliquid determinat sibi vnum oppositorum, alterum oppositorum non potest sibi inesse, nec per se, nec per accidens: ergo si corpus humanum est receptiuum qualitatis, quæ repugnat grauitati, non esset determinatum naturaliter ad grauitatem, quod apparet falsum: ergo per talem formam non erit corpus hominis agile.

Præterea, illa qualitas si ponatur, non erit qualitas aliqua cælestis : ergo vel est qualitas mixti, vel elementaris ; sed nulla talis qualitas potest dare agilitatem corpori, vt moueatur ad omnem differentiam positionis, & ad omnem locum, quod tamen be- nê beati possunt facere.

Præterea, si aliqua qualitas ponatur, poneretur propter agilitatem ad motum ref- pectu *vbi* : ergo determinat ad *vbi* : sed omnis forma determinans ad *vbi*, determinat ad determinatum *vbi*, vt ad *vbi*, ad quod determinat elementum prædominans in mixto: ergo illa qualitas sic determinans ad *vbi*, magis addet fatigationem, quàm agilitatem ad motum : vnde non video quomodo vna qualitas possit dare agilitatem ad omne *vbi* sursum, & deorsum : ergo cum qualitas nobilior, quæ est charitas inclinans ad actionem, inclinet ad determinatam actionem, siue operationem ; & naturaliter omnis forma, quæ inclinat ad motum, inclinat ad determinatum motum ; non videtur quodd per talem qualitatem habet corpus beati agilitatem ad motum, quia non est determinatum ad aliquod *vbi*.

Nulla qualitas potest dare agilitatem ad omne vbi.

COMMENTARIUS.

Quarto videndum est, &c. De principio, per quod agilitas cõpetit corpori beati, variæ sunt sententiæ Doctorum : prima est quam hîc citat Doctor prouenire scilicet à qualitate, qua corpus redditur agile, sed variè sentiunt de hac qualitate. Aliqui apud D. Thomam 3. part. quæst. 57. art. 3. & in 4. d. 44. q. 2. art. 3. statuunt eam qualitatem esse cælestem, quæ in resurrectione corpori beato prædominatur. Alij verò dicunt disponere tantum corpus, vt facilius moueatur à virtute motiua naturali animæ, & tolli per eam grauitatem à corpore beati : & hæc est sententia, quam hîc impugnat Doctor. Alij dicunt esse qualitatem supernaturalem, qua nouetur corpus ad quemcunque situm velociter, & sine fatigatione, aut resistentia. Hæc placet Suarîo loco supra citato, quam tribuit D. Thomæ, D. Bonauenturæ, & Richardo, qui tamen illam sententiam non docent, neque qualitatem illam esse actiuam, sed magis sunt in opinione proximè citata.

Alij docent hunc motum fieri à solo Deo assistente beato ; ita supplementum Gabrieli in 4. d. 44. quæst. 2. Alij verò affirmant virtutem supernaturalem per modum concursus communicari animæ, quo Deus concurret cum voluntate Beati secundum potentiam eius obedientialem, qua Deus vtitur vt instrumento motus ad quemcunque situm. Hanc Suarez probabilem censet scilicet 4. quam tribuit Soto : hîc autem longè est ab illa opinione, qui docet ex perfecta animatione prouenire talem virtutem, sicut dicit simile de impassibilitate. Ita differit in hac d. 4. art. 7. Alij tandem dicunt hunc motum prouenire quidem à potentia naturali motiua ipsius animæ, non nuda tamen, sed eleuata per quandam qualitatem supernaturalem, quæ vites addit, & ad celeritatem motus tam progressiui, quàm non organici, qui motus secundum substantiam haberi potest ab ipsis potentiis naturalibus beati, non tamen cum tanta celeritate, nisi adiuentur à dicta qualitate. Hæc tenet Lusitanus art. 3. §. 3. n. 16. & 28. Hæc sunt cõiecturæ Doctorum in quæstione obscura ; sententiâ Doctoris infra subiiciemus.

Scoti Oper. Tom. X.

8. *Illam opinionem non intelligo, &c.* Impugnat sententiam eorum, qui dicunt oriri à quadam qualitate in corpore, qua tollitur eius grauitas, siue à Deo, siue per ipsam qualitatem, non curo. Constat sententia duabus partibus ; quarum prima est, auferri grauitatem à corpore beati. Hanc tenet Albertus in 4. d. 44. art. 17. ad primum D. Bonauentura in hac dist. art. 5. quæst. 2. Ricardus art. 4. quæst. 7. ad 1. Argentinas quæst. 1. art. 4. Sotus quæst. 4. art. 7. Palacius d. 4. Probabilem hanc sententiam docet Palud. in 4. d. 44. quæst. 4. art. 1. Durand. quæst. 7. Maior in hac dist. quæst. 18. Conimbricenses in 2. de calo cap. 5. art. 2.

Contrariam docet hîc Doctor, Bassolis quæst. 3. art. 4. Guilielmus à Rubione quæst. 3. art. 2. Suarez supra scilicet 4. Abulensis in Matib. cap. 17. quæst. 126. & videtur D. Thomæ loco citato in 4. Probat Doctor manere grauitatem in corpore, quia est consequens ad materiam eius, quæ est terra : ergo inconueniens est sicut dominatur in eo materia elementi terræ, non manere in eo qualitatem, aut proprietatem connaturalem elementi : sicut inconueniens esset dicere quodd fiat Sol, aut corpus aliquod cæleste. Deinde, quia requiritur illa connaturalis dispositio vt informetur ab anima, cui perinde repugnat informare materiam densam, vt aurum, sicut materiam raram, aut lenem. Deinde, quia corpus humanum non est capax leuitatis ; quia quando aliquid determinat sibi vnum oppositorum, neque per se, neque per accidens conuenit ei oppositum : ergo corpus humanum non est receptiuum qualitatis, qua tollatur ab eo grauitas ipsi connaturalis, quam necessariò exigit, sicut & materiam ex qua est. Patet præterea ex dictis alijs de resurrectione corporum in sua integritate, & cum qualitatibus connaturalibus suis ; quarum vna est grauitas, Fundamentum oppositæ sententiæ infra soluetur cum Doctore §. Ad istud, &c.

Secunda pars illius sententiæ, seu potior est assertio illa qualitatis, per quam corpus fiat agile. Hanc impugnat Doctor : quia illa qualitas non est cælestis, vt communis etiam tenet : ergo vel elementaris, vel mixti ; sed nulla talis potest dare corpori agilitatem, vt moueatur ad omnes positiones sursum, deorsum, quaquaversum, quamuis

22
Impugnatio sententiæ, qua dicit auferri grauitatem à corpore.

Manere grauitatem in beato.

Sequitur naturam elementari.

Requiritur dispositio, ad informationem.

23
Secunda pars illius sententiæ impugnatæ
Nulla qualitas potest esse principium agilitatis.

quamvis id possunt beati. Deinde, illa qualitas ponitur ad agilitatē respectu loci occupandi: sed omnis forma determinans ad locum, determinat ad certum locū: v.g. ad illud, ad quod inclinatur elementum prædominans in subiecto: ergo forma sic determinans magis faceret ad fatigationem, quā ad agilitatem: quia semper repugnet ad motum contrarium suæ inclinationi determinatæ. Vnde nō video, inquit, quomodo una qualitas posset dare agilitatem ad omne *vbi* sursum, deorsum, &c. Probat autem illam qualitatem necessariō habere inclinationem determinatam, sicut aliæ formæ habent: quia charitas, quæ est perfectissima qualitas actiua, & supernaturalis, habet determinatam inclinationem ad actionem, & vniuersaliter omnis forma, quæ inclinatur ad motum: ergo non apparet quomodo illa qualitas posset esse principium motus ad omne *vbi*, ad quod corpus beati moueri potest.

Ex his facilis est impugnatio aliarū sententiarum; in primis hunc motum fieri à solo Deo, superfluo, & sine fundamento asseritur, cum potentia motiua non organica animæ sit actiua respectu eius: habet ergo actum suum sicut & in Angelo. Similiter, reducere hunc motum in potentiam obedientialem, sit sine fundamento, & superfluo, cum eius principium motiui connaturalis inueniatur in beato, cuius virtutem non excedit talis motus. Deinde, superfluo additur qualitas supernaturalis ex eodem principio: & quia nequit concipi quomodo qualitas possit esse principium indifferenter mouendi ad omnem locum. Quomodo enim moueret ad locum nisi inclinaretur ad locū ex specie sua, quæ sic determinata est; ita etiam habet determinatā inclinationem: quod patet tam ex aliis formis naturalibus, & supernaturalibus cognitis: tum, quia inclinatio ad locum respicit aliquem determinatum, & non vagum: quia omnis incli-

natio est ad certam aliquam speciem. Huc veniunt ea omnia, quæ in superiori quæstione dicta sunt contra qualitatem illam, in qua aliqui statuunt impassibilitatem corporis gloriosi, idēque non est plurimum insitendum superflue probationi. Quod autem dicit Lusitanus, perinde impugnat: quia celeritas motus ab eo est, à quo est eius substantia: si ergo, vt concedit, motus ille quoad substantiam haberi potest per virtutem naturalem motiui beati, cur non etiam celeritas? Vel vnde constat celeritatem maiorem in motu habituros beatos, quā sit illa, quæ competere eis ex virtute naturali motiui; ex Scriptura enim non constat nisi quod erit motus celer, qui per volatum designatur, & non defectionem, volabunt, & non deficient, non constat ex alia parte voluntatem ordinatissimam beatorum velle habere maiorem celeritatem motus, quā ipsis ex naturali potentia conueniat, neque ex alio sine diuinæ prouidentie, in illo statu celeritatem vllam maiorem requiri: quod si in casu daretur, tunc in concursu diuinum magis congruē, quā in principium aliquod diuersum permanens per modum formæ reduceretur, sicut contingit etiam in via perfectionem excedentem effectus extraordinarij reduci in impulsu, & adiutorium actuale, & non habituale.

Accedit vltimō quod videatur oppositum esse magis ex sententia Antiquorum; quia qui ponebant qualitatem cælestem, intendebant dominium eius super gravitate corporis, quo motus sursum redderetur facilius, & locus secundum inclinationem illius qualitaris, & motus sit naturalis. Qui qualitatem statuunt non actiuam in corpore, idē eam asseriebant, vt tolleretur resistentia ad motum ex gravitate, vel tolleretur ipsa grauitas. Cæterum referunt motū ipsum in virtutē naturalem beati; quia superfluum ipsis videbatur ad illum effectum exigere aliam virtutem.

SCHOLIUM.

Dotem agilitatis esse intentionem, & perfectionem maiorem virtutis motiua cum amotione duplicis impediementi corporis ad motum, & collatione bonorum spirituum vitalium. De hac doctē agunt Patres in 1. Cor. 13. August. 13. ciuit. 18 & lib. 20. cap. 18. & epist. 79. Hilar. in id Psalm. 138. Si sumpsero pennas, &c. Vide Simanc. de cathol. institut. cap. 37. num. 6.

Ad agilitatem nihil super-naturale requiritur. **R**espondeo ergo quantum ad istum articulum, & dico quod proportionata agilitas, quæ requiritur ad motum beati, potest esse sine supernaturali quocunque addito corpori, vel animæ: non enim oportet ex parte animæ, nisi quod virtus motiua fiat perfectior, & quod resistentia accidentaliter ex parte corporis tollatur: & vtrumque potest fieri sine supernaturali addito: quia quod modō in anima virtus non est sufficiens ad motum, hoc est, vel quia est impedita à corpore, vel quia in se est diminuta; & cum est separata, aut vnita corpori glorioso, intenditur, sicut virtus beati visiva intenditur resumpto corpore glorioso; quia, vt videtur, tunc poterit sine difficultate visibile quodcunque videre inspiciendo. Potest ergo potentia motiua in anima intendi ad gradum perfectum, quod sufficiat ad mouendum corpus illud sine fatigatione, nec tamen erit noua potentia, sicut nec virtus visiva intensa in beato, & non beato, est alia potentia visiva.

Ex parte autem passi, scilicet corporis mobilis, amouebitur duplex impediementum, vnum ex parte organorum virtutis motiue, quod est in iuncturis, & nervis, quo impediemento remoto, sit trahibilitas, & applicabilitas maior in eis; & amotio istius impediementi maximē requiritur ad agilitatem in motu progressiuo, ad quem mouet potentia

Relicitur vltima sententia.

Celeritas motus in ipsam potentiam motiuiam reduci potest.

Magis conformis sententia antiquorum.

Insufficiens motiua: vltima praeterea.

Incendit motum non in beato.

Prosper.

11

21 Obiecti Substantia non intenditur.

potentia motiua organicè. Aliud impedimentum est in toto corpore, quod est repletum humoribus grossis, & spiritibus, & caput fumositatibus, & multis talibus, quæ reddunt hominem pigrum, & quæ non pertinent ad veritatem humanæ naturæ: hæc autem amouebuntur, & spiritus boni, & subtiles dabuntur corporibus gloriosis, per quæ reddetur corpus multum agile ad motum, sicut patet per oppositum de corpore mortuo, quod efficitur grauius, non quia plus de quantitate, aut materia apponatur: sed quia spiritus vitales corrumpuntur, & humores grossi inducuntur.

*Сит мор-
тний корпус
сит гтанию
вино.*

Quintò ex dictis patet responsio ad quæstionem, quòd beatus habens suum corpus gloriosum, habebit agilitatem, & promptitudinem ad mouendum: quæ agilitas non est per aliquam qualitatem supernaturalem corpori superadditam, defluentem ab anima: sed est propter intensiorem virtutis motiue ex parte animæ, & propter amotionem duplicis impedimenti ex parte corporis, & collationem bonorum spirituum subtilium in corpore.

COMMENTARIUS.

23
*Agilitas sal-
natur sine
forma super-
naturali ad-
dicta.
Fundatur in
virtute na-
turali anima,
& dispositio-
ne corporis.*

*Insufficiencia
motiua in
vita presen-
ti.*

*Intendi vir-
tutem moti-
uam in beato.*

Prospcr.

24
*Obiectio.
Substantia
non intendi-
tur.*

Respondeo ^h ergo quantum ad istum articulum, & dico, &c. Statuit conclusionem propriam, quæ est: quòd proportionata agilitas, quæ est in motu beati, possit esse sine aliquo supernaturali addito, in corpore, aut anima, diuerso scilicet à virtute naturali perfecta animæ gloriose, & à dispositione proportionata in corpore: probat, quia sufficit ex parte animæ, vt virtus motiua sit perfectior, & sine resistentia accidentali ex parte corporis. Vtrumque potest fieri sine supernaturali forma, & qualitate addita: hoc enim genus supernaturalis tantum hic excludit, non autem aliud, quod per modum perfectionis intrinsecæ potest aduenire, aut virtuti motiue in sua specie, aut dispositioni corporis: ergo illud tantum genus formæ supernaturalis, quod ab alijs asseritur, ab ipso negatur. Probat autem minorem, quia virtus illa in vita mortali idèd non est sufficiens, quia vel impedita à corpore, vel diminuta quoad vires; sed in anima separata, aut vnita corpori glorioso intenditur, sicut potentia visua, quæ in eo statu & corpore glorioso sicut erit impassibilis, sic etiam poterit quocunque luminosum perfectè, & sine difficultate, aut passione; illud docet Prosp. lib. de vita contemplatiua cap. 11. ibi, inquit, *corporales oculos nihil visibile creatura latebit: quia incorruptibile corporum virtus incorruptibilis erit, ac ita sine comparatione viuitior quam hic fuit, vt ei aliquid visibile clausum esse non possit*, &c. docet & Gregorius quæstione sequenti citandus; sicut ergo potentia visua intendi potest ad illum gradum perfectionis, ita & potentia motiua intendi ad gradum perfectum, in quo possit mouere corpus gloriosum ad omnes positiones, situs, sine difficultate, sine fatigatione: nec tamen tunc erit potentia motiua diuersa, sicut neque potentia visua erit alia, licet intensior.

Hæc resolutio non caret difficultate: quia potentia motiua est substantia, & non organica, sicut se habet intellectus, & voluntas animæ: ergo nequit intendi in suo gradu entis, aut virtutis propriæ, nisi aliquod addatur per modum for-

mæ, aut concursus supernaturalis. Instantia etiam de visua non soluit difficultatem, neque probat intentum: quia potentia visua, vt est substantia, non intenditur, licet ex impassibilitate, & purificatione organi, & perfectione qualitatum connaturalium reddatur perfectior, sua tamen virtus connaturalis productiua, & receptiua visionis manet eadem, quia substantia non suscipit magis, & minus.

*Exemplum
retorquens.*

Respondetur vel Doctorem loqui hic iuxta sententiam eorum, qui statuunt potentias animæ esse accidentia, in qua sunt illi, quos *suprà* impugnauit; vel intelligendus est iuxta exemplum aliarum de potentia visua, eiusque intensiōe ex impassibilitate, & purificatione organi, non verò intensiōe substantiali: quamvis autem in potentia motiua spiritali animæ, & non organica non inueniatur modus hic intendendi ipsam: tamen inuenitur modus intendendi eam ex non resistentia passi, & ex beatitudine potentiarum intellectualium, quibus subordinatur, in quibus nulla est fatigatio, aut distractio, aut difficultas operandi, quin perfectè applicare possint motiuam subiectam ad extremum virium suarum ad operandum motum. His annecti potest etiam concursus causæ primæ debitus illi statui, & supplens quidquid est defectus ex limitatione virium, quo reddantur potentiæ perfectè dispositæ ad suum actum perfectum, & sufficientes.

*Responsio &
declinatio
difficultatis.*

*Quædam in-
tensio à Do-
ctore intelli-
gitur.*

*Concursus
Dei.*

Ex parte passi, seu corporis amouetur duplex impedimentum. Vnum in ordine ad motum progressiuum, quod est ex inflexibilitate iuncturarum, neruorum, & tumore etiam musculorum, quæ impediunt flexibilitatem idoneam ad motum progressiuum. Aliud impedimentum est superfluitas materiæ, humorum, spirituum densorum, fumositatum in capite, quæ non pertinent ad veritatem naturæ, hæc ergo amouebuntur, & dabuntur spiritus subtiles, per quos reddentur apti ad motum. Hæc dispositio requisita ad agilitatem ex parte corporis. Hinc deducit quintum articulum, quæ est conclusio prioris, nempe beatos habituros agilitatem ex causis præmissis, non verò ex aliqua supernaturali addita, quæ redundet ex anima, & quæ sit ab his diuersa.

25
*Dispositio
corporis.*

1. Art.

Soluit argumenta allata, & alia quæ hîc ponit pro sententia ponente agilitatem oriri ex qualitate tollente gravitatem, & reddente corpus habile ad omnem motum, & ostendit non obstante gravitate, corpus beati naturaliter quiescere sursum.

AD illud quod obiicitur de Augustino, quod graue pondus auferetur. Dico quod corporis pondus aggrauans auferitur: *corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam*; & idè hoc pondus aggrauans auferitur, non tamen omninò gravitas corporis auferitur: requiritur enim gravitas ad hoc, quod sit corpus perfectibile ab anima, & non leuitas. Vnde sicut Philosophus dicit de cælo, quod si esset vna stella addita, aut amota, non moueretur ab Intelligentia: ita si corpus fieret leue, non esset perfectibile ab anima, nec anima compararetur ad ipsum vt motrix: vnde videmus, quod leuitas in aliquibus impedit motum.

Quare D. Bonau. dist. pras. q. ult. Quando etiam arguunt, quod si corpus gloriosum esset graue, quiesceret in centro, & violenter esset alibi, vt sursum in cælo; Præterea, si esset graue, tunc anima continuè mouendo ipsum, fatigaretur.

Non obstante gravitate corpus gloriosum quiescit sursum. Ad primum dico, quod quando sunt aliquæ potentie ordinatæ, naturalitas potentie superioris est maior, quàm potentie inferioris: vt patet de sensu tactus, qui naturaliter secundum propriam inclinationem delectaretur in sensibili, vel tangibili, & similiter gustus, qui tamen in beatis non habent huiusmodi actus, vt gustandi, & comedendi: nec tamen sunt ibi violenter sine actibus suis, quia sequuntur inclinationem appetitus superioris, vt voluntatis. Sic etiam est cum graue ascendit, nè fiat vacuum: & sicut est in maiori mundo, ita in minori: vnde naturalius est corpori perfici ab anima, & quod fiat conueniens perfectibile eius, & quod moueatur motu competenti animæ; quàm quod moueatur motu proprio ad centrum: & idè secundum inclinationem naturæ superioris quiesceret naturaliter, sed secundum *quid* innaturaliter.

Beati stabunt erecti, & quare. Iacere magis nobis naturale, quàm sedere. Quando etiam dicitur, quod anima fatigaretur; dico quod non, quia non vincitur, nec est contraria actio à corpore, quæ esset cum fatigatione. Et ex hoc sequitur vnum corollarium, quod Sancti in patria non habebunt situm in cælo nisi erectum, non autem sessionis: nam inclinatio partium videtur repugnare agilitati: sed erectio, siue statio videtur esse situs conueniens corpori, in quantum est instrumentum animæ, quia tunc magis aptum est, & promptum ad operationem: vnde & iacere magis videtur esse situs naturalis corpori humano, quàm sedere, quod includit curuitatem partium. Et confirmatur per Augustinum in *lib. de symbolo*, vbi exponens illum articulum; *Sedens ad dexteram Patris*, vult quod non debet intelligi de sessione corporali; *Stephanus enim vidit Iesum stantem*.

AD primam rationem principalem, dicendum quod aliquid est ita perfectum, quod propter sui perfectionem non recipit vltiorem perfectionem, sicut Deus: & aliqua sunt ita imperfecta, quod propter sui imperfectionem non possunt recipere perfectionem, sicut accidentia vltima, vt respectus. Alia sunt entia media, quæ cum perfectione sua sunt in potentia ad perfectionem aliam, & talia sunt omnia entia absoluta citra Deum. Concedo ergo quod illud, quod mouetur, est in potentia ad vltiorem perfectionem, vt ad terminum motus: & quatenus caret illo, est imperfectum: & sic corpus gloriosum, cum non sit ens infinitum, aliquam imperfectionem habet, & mouetur ad terminum, per quem terminum acquiritur sibi aliqua perfectio, quatenus per motum coniungitur ad aliquod corpus, circa quod operatur, nunc circa vnum, nunc circa aliud, laudando beatitudinem, & sapientiam in Deo. Vnde concedo quod ille motus sit alicuius, quod est secundum *quid* imperfectum. Ad aliam probationem dicendum, quod cessatio motus cæli non est causa cessationis in omnibus aliis motibus: sed dicitur esse primus secundum aliquam præminentiam, & non secundum essentialem dependentiam ad ipsum. Ad aliud dicendum, quod non erit tunc tempus, quia non erit aliquis vnus motus primus vniformis, nec beati tunc vniformiter mouebuntur, sed velociter, & agiler secundum merita sua.

AD aliud, dicendum quod in instanti resurrectionis, sicut fient corpora gloriosa, & habebunt dotem agilitatis, sic per dotem illam rapiuntur obuiam Christo. Et si portabuntur ab Angelis, vel rapiuntur in nubibus, non sequetur aliqua imperfectio, vel violentia in corporibus: hoc enim fiet ad reuerentiam, non ad supplendam indigentiam, vel imperfectionem virtutis motiux in eis.

Ad aliud dicendum, quòd licet beati erunt in determinata approximatione ad Christum, tamen non minuetur eorum beatitudo accidentalis, cum aliquantulum recedunt: quia recedunt secundum libitum suum, sicut modò aliqui habent propinquitatem ad Regem in camera, vel extrà in aula.

Ad aliud, dicendum quòd beati non habebunt omnem perfectionem accidentalem, & ideo per operationem suam poterunt eam acquirere secundum libertatem voluntatis suæ.

COMMENTARIUS.

26

Fundamentum opinionis impugnat soluitur.

AD illud quod obiicitur, &c. Soluit fundamentum prioris opinionis, quæ dicit gratuitatem auferendam à corpore glorioso, loco citato in litera aliàs 22. de Civit. c. 11. & *serm. 139. de tempore, cap. 3.* quod præterea asserunt alij, ut Cyprianus *serm. de Resurrectione Christi, cap. 4.* Respondet illud verum esse modo iam dicto de gratuitate ex indispotione, & superfluis.

Inclinatio naturalis potior ad locum.

Respondet similiter ad alia fundamenta; nempe si corpus esset grave, quiesceret in centro, & violentè esset sursum. Præterea, motus fatigaret animam. Respondet ad primum, quòd locus ille, qui est secundum inclinationem potentie superioris, & potior totius, sit simpliciter conaturalis corpori; illa est voluntas, & inclinatio animæ beatæ, quæ informat corpus, quod declarat in textu. Ad secundum respondet non fatigari animam, nec vinci, neque esse actionem contrariam motus à corpore ad locum centricum quia perfectè erit subiectum animæ beatæ, & secundum propriam inclinationem animæ. Hinc deducit corollarium, nempe situm corporum in cælo esse stationem, qui est situs naturalis corporis, & probat id ex *Art. 7.*

Situs corporum in cælo.

27

Ad primum principale.

AD primam rationem principalem, &c. Primum fuit, quòd agilitas ponitur propter motum localem: sed ibi non erit: quia omnis motus est imperfectus, quia entis in potentia, & quia non erit motus cæli, à quo dependet, neque tempus.

Responsio.

Respondet quòd aliquid non est capax perfectionis propter excessum perfectionis; aliquid etiam propter extremam imperfectionem, ut relationes. Alia sunt entia media, ut reliqua creata. Concedit præterea motum localem involvere imperfectionem potentie secundum quid, quæ

Imperfectio secundum quid motus localis.

perficitur per terminum motus, quo possit beatus se applicare ad aliquod corpus, creatorem laudando. Negat ad hoc esse necessarium motum cæli, aut tempus extrinsecum: dicit tamen motum beatorum non fore uniformem, sed moturos se velociter, & agiliter secundum merita sua.

28

Agilitas ex merito est.

Ex his verbis ultimis sequitur veritas illius interpretationis superius præmissæ: quia si dos correspondet meritis, erit perfectior in eo, qui habet plura merita, quamvis alioquin quoad naturalia sit imperfectior, quàm alijs, quem excedit in meritis: oportet perfectionem aoris excedentem refundi in Dei concursum, ut virtus motiva sit intensior in actu secundo, & non substantialiter.

Hanc ergo intensionem intelligit Doctor supra, & non substantialem.

Obiectio.

Dices. Si ergo requiritur adiutorium concursus specialis, quid repugnat hoc adiutorium consistere in aliqua qualitate, quæ sit permanens per modum actus primi?

Responsio.

Respondetur ex eo repugnare, quia nequit vlla talis à Deo creari, quæ sit principium movendi ad omnes positiones situs indifferenter: non ita se habet concursus actualis Dei, qui est semper determinatus ad illam positionem, ad quam se movet voluntas, & applicat potentiam motivam naturalem animæ in corpore glorioso.

Ad ultimam.

AD aliud, &c. Hoc fuit secundum: nempe si daretur talis potentia motiva in anima, non requireretur alium motorem ad iudicium: sed hoc est falsum, quia ex Apostolo, electi qui tunc moriuntur, rapiuntur simul in nubibus obviam Christo, Respondet illum raptum non fore ex indigentia, sed ob reverentiam, & honorem, Ad alia duo patet ex litera.

QVÆSTIO XV.

Utrum corpus gloriosum erit clarum?

D. Thom. in addit. quæst. 85. art. 1. & 4. dist. 44. quæst. 1. art. 4. Richard. hic art. 4. quæst. 6. D. Bonau. 1. part. art. 2. quæst. 1. & 2. Maior quæst. 19. Durand. 4. dist. 44. quæst. 8. Suar. 3. part. tom. 2. dist. 48. sess. 2. Soto hic quæst. 4. art. 8.



TRUM corpus gloriosum erit clarum? Videtur quòd non. Lucidum arg. 1. occultat illud, quod est intra se: sed corpora gloriosa non sic, quia Greg. 18. Moral. super illud Iob. *Non aquabitur ei aurum, &c.* dicit, quòd patet oculis corporalibus beatorum harmonia interiorum. Et confirmatur ratione, ista harmonia corporis est delectabilis; nam pulchritudo naturæ incipit ab intrà, è converso pulchritudo artis est tantum extrà: sed beati possunt percipere quodlibet sensibile delectabile: ergo, &c.

Præterea, lux & color requirunt determinatam dispositionem contrariam in subie-

Quid pulchritudo. Atos sed corpora gloriosa erunt colorata, per August. 22. de ciuit. Dei. cap. 19. Pulchritudo corporis est partium congruentia cum quadam coloris suauitate: sed pulchritudo conuenit corporibus gloriosis: ergo, &c.

Arg. 3. Præterea, si ibi esset claritas, ergo immutaret visum oculi non gloriosi; sed visibile ab aliquo oculo, si opponitur sibi, necessariò videtur: ergo claritas corporis gloriosi necessariò videtur, quod apparet esse falsum, sicut patet de Christo, quando apparuit discipulis euntibus in Emaüs, cum tamen corpus Christi esset gloriosum: igitur, &c.

Rat. opp. Contrà, Sapientia 3. dicitur. *Fulgebunt iusti sicut Sol, &c.*

S C H O L I V M.

Dari dotem claritatis, ex Sap. 3. & habetur Matth. 13. & 17. ubi de transfiguratione, & ad Phil. 3. ibi, reformabit corpus configuratum corpori claritatis suæ, de hac Ruff. in Symb. Clem. lib. 1. const. cap. 8. August. 3. doct. cap. 5 & 2. de consen. Euang. cap. 56. Greg. 18. mor. 31. Hieron. epist. 103. ad Paulin. & in Amos 5. Ambr. & Anselm. in 1. Cor. 15. putat Doct. hanc consistere in perfectissimo colore, cum refulgentia, & forte cum luce, si corpus humanum est lucis capax.

Claritas supra lucē addit sui manifestationem. Beati non habebunt eundem colorem omnes, vel non secundum gradū eundem.

1. Cor. 15.

Claritas beati est color perfectissimus cum refulgentia.

Respondeo, & dico quòd corpora beata erunt clara. Claritas enim est quædam refulgentia, & addit super lucem, & colorem, manifestationem sui, quomodo dicitur clara lux, vel clara veritas, vel clara intellectio, id est, manifesta, pro quanto dicit perfectam manifestationem sui: si ergo loquamur de claritate coloris sui corporis, dico quòd corpora beatorum erunt clara, quia habebunt perfectam manifestationem sui corporis: habebunt enim colorem perfectè manifestationum sui, quia quilibet habebit colorem pulchrum secundum gradum complexionis suæ: quia non omnes habebunt eundem colorem, nec secundum eundem gradum, qui habent similem colorem: quia commensurationes colorum sequuntur commixtionem propriarum qualitatium; & idèò secundum diuersas complexionones habebunt diuersos colores: vnde & modò magis delectatur vnus in vno colore, quàm in alio, quia conueniens est complexioni suæ: & sic non omnes erunt æquè clari, etiam habentes sibi similem complexionem, sed secundum merita sua. Vnde secundum Apostolum. *Alia est claritas Solis, &c.* & illa claritas videtur sufficere, quia magis delectatur sensus visus hominis in pulchro colore corporis humani, quàm in corpore luminoso; vnde plùs delectatur naturaliter in videndo faciem humanam benè coloratam, quàm solem: Ille ergo modus claritatis est mihi planus, quòd erit in beatis, quia in eis erit color secundum vltimam perfectionem conuenientem complexionibus suis. Si autem corpus beati sit capax lucis, & non tantum coloris, placet mihi, quòd ponatur ibi. Talem autem colorem, scilicet vltra perfectionem complexionis suæ cum refulgentia, talem esse dotem claritatis voco.

C O M M E N T A R I V S.

Respondeo, & dico, &c. Hanc quæstionem breuiter resoluit, & respondet ad argumenta. Dicit primò quòd corpora beatorum erunt clara; claritas enim erit quædam refulgentia, & addit super lucem, & colorem perfectionem illam, quæ est esse manifestationum sui: erunt ergo corpora beatorum clara: quæ habebunt colorem cum refulgentia secundum diuersum gradum complexionis, & meritum: & hunc modum claritatis dicit esse planum, hoc est sine controuersia.

2. An sint lucida? Responso Doct. in.

An præterea sint corpora beatorum lucida? Ad hanc difficultatem respondet Doct. his verbis: *Si autem corpus beati sit capax lucis, & non tantum coloris, placet mihi quòd ponatur ibi. Talem autem colorem, scilicet vltra perfectionem complexionis suæ cum refulgentia talem esse dotem claritatis voco.* Hinc aliqui interpretantur Doctorem negasse corpora gloriosa lucida. Sed melius Bassolis in

hac dist. quest. 3. & Nicolaus de Nyssa tract. 7. par. 3. portione 3. q. 4. dicunt cum non negasse esse lucida, sed potius affirmasse, si sit hoc possibile; vt patet etiam in paragrapho sequenti: Et idèò, inquit, magis videtur possibile, quòd corpus beati sit lucidum & coloratum, quàm quòd sit lucidum & luminosum; & tunc potest dici, quòd color, & lux secundum se non repugnant, nec ex parte sensuiui, sed ex parte agentis, & idèò simul ab agente creato non possunt induci, &c. Et infra. Ad aliud, inquit, patet responsio ad dicta, quòd corpora beatorum erunt colorata, & si lux in eis possit recipi, placet mihi quòd dicantur lucida. Et tunc oportet dicere quòd lux & color absolute non repugnant, nisi per comparisonem ad actionem agentis creati. Hinc ergo optionem faciens affirmandi corpora gloriosa esse lucida, & soluens rationem naturalem, quæ opponi posset, non est in sententia negatiua: sed asserit quòd certum est: aliud verò non probat ostensiuè esse possibile: sed soluit rationem, quæ opponi posset repugnantia: vnde sublata repugnantia placet ei sententia affirmatiua, quæ docet

S C H O L I V M.

Ad primum putat corpus beatum non futurum perspicuum instar crystalli, tamen oculi beati videre poterunt eius interna instar lyncis, per poros, qui tunc erunt minores, quàm modò: quod videre poterunt interna, prater Greg citatum id tenent Augst. 22. ciuit. 30. Chrys. epist. 5. ad Theodor. D. Thom in add. quest. 85. art. 1. Alij putant futura corpora beata peruia. Vide Suar. tom. 2. 3. part. dist. 48 sess. 2. Soto hic quest. 4. art. 8. Rich. artic. 4. quest. 6. Maior. quest. 19. an verò beatus possit occultare suum corpus, necne. D. Thom. affirmat, Doctor negat id posse fieri imperio voluntatis beati, sed benè Deo denegante concursu, ut videatur, & hoc modo fortè videt oculus beatus interna corporis beati, quando scilicet alius beatus videri vult, non aliter.

*Ad arg. 1. b
2. Cē.
com. 41. &
alibi.*

*Susceptiuū
lucis, den
sum, opacū,
luminis au
tem, peruiū.*

*Corpus
beatum erit
lucidum &
coloratum,
non lucidū
& lumino
sum.*

*Quomodo
corpora
beatorum
erunt per
uia?*

*Ric pref.
dist. art. 4.
quest. 6.
D. Bonan
hic.*

AD primum secundum auctoritatem Gregorij. Videtur quòd illa corpora erunt peruia, & perspicua, sicut vitrum coloratum: & cum hoc lucida, quod videtur mirabile. Nam secundum Auicennam. 6. *Naturalium*, lumen, lux, & color, habent diuersa receptiua, & minùs aliquid potest esse receptiuum luminis, & lucis, quàm lucis & coloris: quia susceptiuum lucis est opacum, & densum, susceptiuum autem luminis est peruium. Vnde densior pars orbis est lucida, ut stella, nec potest per eam videri, quod post eam est, imò eclipsat illud, vel aliam stellam: alie autem partes orbis sunt luminose, & perspicue, & ideò si corpora beatorum sint lucida, non videtur quòd sint peruia, nec per illa possit videri aliquod corpus. Susceptiuum autem coloris est densum: quia color non est nisi in perspicuo terminato. Ideò magis videtur possibile, quòd corpus beati sit lucidum, & coloratum, quàm quòd sit lucidum, & luminosum, & tunc potest dici, quòd color, & lux secundum se non repugnant, nec ex parte sensitiui, sed ex parte agentis, & ideò simul ab agente creato non possunt induci: sed partes perspicue non sunt receptiue lucis, sed tantum luminis. Et ideò colorata, & quæ habent lucem, non possunt esse perspicua: vel si sint perspicua, & cum hoc, habent lucem, non sunt nisi sicut noctiluca.

Quomodo ergo saluabitur auctoritas Gregorij, non video quòd corpus gloriosum possit dici peruium, nisi propter poros, non propter aliquam perspicuitatem: ita quòd caro solida beati fiat tanquam crystallus; tamen in corpore eius erunt pori, & minores quàm modò sint, & tunc oculus beati per suam limpiditatem poterit videre per illos poros, sicut si esset transparent, sicut dicitur, quòd lynx potest videre per parietem: si autem non sic videat, tunc saltem videbit oculo mentis ea, quæ sunt intra in corpore glorioso.

^c Ad aliud patet responsio per dicta, quòd corpora beatorum erunt colorata, & si lux in eis possit recipi, placet mihi, quòd dicantur lucida. Et tunc oportet dicere, quòd lux, & color absolutè non repugnant, nisi per comparisonem ad actionem agentis causati.

^d Ad aliud dicitur, quòd claritas corporis Christi non potuit videri ab oculo non glorificato propter infirmitatem visus, & excellentiam claritatis eius; sed hoc nihil est, quia oculus debilis virtutis potest percipere quodcunque visibile, licet non apprehendat illud; sicut potest videre solem, licet non videat sicut aquila actu permanente: potest tamen percipere oculo carnis, licet reuerberetur.

Alij textus sic habent;

Si dicas, natura non potest in hanc immutationem intentionalem sine reali, & ita si oculus discipulorum vidisset claritatem illam, intentionaliter immutatus, videtur quòd fuisset realiter immutatus, & ita corruptus. Dico quòd in reali immutatione non potest sine actu permanente: tamen raptim illa claritas potest immutare visum intentionaliter: vnde discipuli in Transfiguratione Christi non potuerunt ferre claritatem corporis gloriosi, scilicet actu permanente. Sed propter hoc non sequitur, quin aliam perceptionem, vel immutationem corporalem habuerint, saltem intentionalem: sed si diu staret immutatio intentionalis, haberet cum intentionali realem, & corrumpere.

^e Alij dicunt, quòd beatus potest occultare claritatem corporis sui ex imperio voluntatis

luntatis animæ, à qua redundat, & fluit in corpus illa claritas. Sed non video quòd aliqua actio naturalis subfit voluntati creatæ: nulla enim voluntas creata potest impedire actionem ignis, nè agat in aquam sibi approximata: potest tamen hæc amovere ab inuicem, sed hoc non est impedire per actum voluntatis. Et ideo videtur mihi sine assertione, quòd nulla qualitas actiua, quæ est præcisè corporis, subfit ipsi animæ, siue eius imperio: & ideo quicumque beatus, qui habet claritatem, quando est approximatus passo proportionato sibi simpliciter, vt oculo glorificato, vel passo aliquo proportionato, vt oculo non glorificato, necesse est quantum est ex parte sui, quòd immutetur.

Quid ergo dicemus? Nunquid claritas Christi post resurrectionem non immutauit oculos discipulorum? Dico quòd hoc fuit per potentiam diuinam, quia Deus est primum agens coagens cuilibet creaturæ, & quando ipse non agit, creatura desinit agere: poterit autem fieri, vt ad voluntatem cuiuslibet sancti Deus non coagat illi claritati, quando vult beatus, quòd sua claritas non videatur: & sic potest dici beatus occultare claritatem suam, non quòd hoc fiat immediatè à voluntate sua, sed ad imperium voluntatis sue Deus occultat non coagendo claritati.

Sed quomodo tunc Christus ostendit se in forma peregrini, nunquid in alio colore, quem ipse habuit? Respondeo quòd Deus potest causare visionem in oculo non beato per qualitatem, quæ non est illius obiecti: & sic potuit causare visionem in oculis discipulorum de peregrino ipso existente in claritate, & colore proprio, non habente in se illam formam, aut colorem, nec tamen decipiebat, quia deceptio non est nisi in via morum: nec tamen etiam fuit illusio, quia certi erant, quòd ipse fuerit talis in persona. Ostendit ergo se eis, vt crederent, quòd talis erat in persona: & melius hoc fuit quàm si vidissent eum in claritate Christi: solùm enim eis intendebat ostendere personam suam.

D. Thom. dist. 44. 4. art. 2. 9. 4. & R. ubi supra. Vide Var. in hoc 4. 9. seq.
Beatus potest se occultare, quia eo sic volente, Deus non cogit ad visionem eius. Christus quomodo in forma peregrini se ostendit. Quia si viderem eius gloriam, eum non crediderunt.

COMMENTARIUS.

8 *Ad arg. ad primum.* **A**d ^b primum secundum auctoritatem Gregorij, &c. Primum fuit: quòd lucidum occultat illud, quod est intra se: sed corpora gloriosa non sic secundum Gregorium: lib. 10. *Moralium* dicentem cap. 31. quòd patebit oculis corporalibus harmonia corporis gloriosi interior. Deinde, quia hæc est delectabilis visio: quia pulchritudo naturæ incipit ab intra, &c. Hoc argumentum petit illam difficultatem: An scilicet corpora beatorum erunt lucida, & simul luminosa, & transparentia, sicut crystallus, aut vitrum. In partem negatiuam magis inclinat Doctor propter repugnantiam corporis lucidi, & colorati, quæ sunt imperuia ad perspicuitatem: dicit ergo lucem minùs repugnare corpori glorioso, quàm lumen, quod recipitur in perspicuo: lux autem in superficie est corporis lucidi. Eandem sententiam docet D. Bonauent. in 2. part. huius distinctionis art. 5. part. 1. Richard. art. 4. quæst. 6. Angles supra dub. 4. Sotus 9. 4. art. 8. Abulensis citatus Durand. d. 4. 4. 9. 8.

Affirmatiua. Oppositam sententiam tenet Alen. 3. part. quæst. 22. num. 1. art. 1. D. Thom. in 4. d. 44. quæst. 2. art. 4. quæst. 1. ad 2. Paludan. quæst. 5. art. 2. conclus. 1. Suarez. Salas, Lusitanus art. 3. § 2.

9 *Explicatur Gregorium.* Respondet Doctor ad auctoritatem Gregorij dicens oculum gloriosum videre posse interiora, & fore ipsi perspicua per poros, sicut lynx dicitur à naturalibus videre, quæ post parietem sunt: quod pluribus documentis docet Cælius Rodignius lib. 16. cap. 2. Vide plura de hoc *ibidem*, & *Continbricensis* lib. 2. de anima quæst. 9. cap. 2. Abulensis etiam in *paradoxo* 3. cap. 30. dicit corpus opacum intermedium non prohibere visionem oculi gloriosi: qui proinde, vt erit perspicacissimus, videbit omnia interiora corporis gloriosi

per poros eius: vnde sicut affirmat Rodignius loco citato nullum est corpus aded opacum, quoniam subfit influentiæ cælesti mediante luce, & lumine, quod recipitur in meatu, & poros eius: ita à fortiori, vel lux ipsa corporis gloriosi per opificationem radiorum illuminabit sua interiora, vel certè radij emissi ab oculis gloriosis idem præstabunt. Vnde ad hunc effectum non est necessarium corpora illa fore aliter perspicua, aut in modum Crystalli apparentia: quanquam neque hoc etiam certo fundamento negare possumus, cum illud affirmare videatur Gregorius, & alij: quia non possumus ratione naturali penetrare gradum densitatis, & opacitatis requisitæ in corpore ad naturalem informationem, & functiones animæ necessarias, & perfectas: Quæstio ergo incerta est.

^c *Ad aliud patet responsio*, &c. Hoc fuit secundum, & solum in corpore.

^d *Ad aliud dicitur*, &c. Hoc fuit tertium: Si ibi esset claritas, immutaret visum oculi non gloriosi: sed hoc est falsum, vt de discipulis euntibus in Emaüs, qui non viderunt claritatem Christi, & aliàs sæpè post resurrectionem, quando apparuit Apostolis, licet corpus eius fuerit gloriosum.

Hoc argumentum petit illam difficultatem, an videri possit corpus gloriosum ab oculo non glorioso? Negat Richardus propter excellentiam visibilis: sed hanc sententiam rectè reiecit Doctor dicens in transitu videri posse, licet non permanentem, neque intensè. Replica autem sequens cum sua responsione, quæ notatur tanquam alius textus, desumpta est ab alia impressione, & rectè cohæret præsentī instituto, inquantum negat immutationem realem per sensibile excellens esse coniunctam immutationi intentionali, quando hæc non est permanens, sed transiens, & raptim fit, vt exemplo Apostolorum

Quæstio est dubia.

10

Ad 3.

11

An corpus gloriosum videri possit ab oculo non glorioso. Videri posse non sicut.

Videri interiora per poros.

*Apostoli in
transfigura-
tione videri
claritatem
Christi.
Sententia
negativa.*

*Affirmativa
est vera.*

lorum in transfiguratione Domini presentium patet: Lusitanus *art. 7. §. 3.* dicit hanc claritatem non posse videri ab oculo non glorioso, non quidem remissè, quia nempe est supernaturalis illa qualitas in substantia. Contrarium cum Doctore docet D. Thomas *d. 44. quest. 2. art. 4.* Durandus *quest. 8.* Paludanus *art. 3. q. 3.* & communis nostra Schola, Sotus *hic quest. 4. art. 8.* Pisanus *3. par. 9. 85. art. 3.* Valentia citatus *quest. 5. puncto primo.* Probabiliorum censet Suarez *sect. 2. disp. 48.* neque oppositum aliquo probabili fundamento asseritur: nam seruando proprietatem, si comparatur in Scriptura cum claritate Solis, Lunæ, firmamenti, stellarum, rectè sequitur eam esse eiusdem speciei: nec refert quòd à solo Deo producatur in corpore, & supernaturaliter: nam etiam si sic produceret claritatem Solis in ligno, vel in lapide, esset supernaturalis hoc modo: quia à nulla causa naturali in eo produci posset, neque talem exigit ex se inclinatione, aut principiis intrinsecis: tamen videretur ab oculo non glorioso, qui circa rationem formalem sui obiecti natus est versari in quocunque ponatur: eodem modo in proposito de claritate corporis gloriosi, quæ nullum alium gradum supernaturalitatis sibi vindicat, neque facile in genere qualitatibus sensibilis, & materialis supernaturalitas in substantia fingenda est, & sine fundamento. Responsio ergo Doctoris est vera.

Alij dicunt, &c. Adducit responsionem, seu opinionem aliorum, qui dicunt claritatem corporis gloriosi non videri nisi quòd vult ab oculo non glorioso, quia illa redundat ex anima, cui proinde subicitur. Est D. Thomæ. Hanc non probat Doctor, quæ etiam in fundamento suo reiecta est *suprà*: quia illa non fluit ab anima, sed à Deo

solo producitur, ac proinde non subest voluntati beati ex propria virtute, neque etiam actio eius, imò neque actio alicuius qualitatis corporis gloriosi subest imperio suæ voluntatis, quod fultius *suprà* probatum est agendo de impassibilitate.

Quòd si obiicias claritatem Christi non fuisse *Replica.* visam à discipulis euntibus in Emaüs.

Respondet, quòd fuit per diuinam potentiam. *Solutio.* Adiungit præterea posse dici de beatis claritatem eorum non videri quando volunt, Deo non concurrente ad eius manifestationem: & sic subest imperio suæ voluntatis non mediata sed immediate. Deinde mouet dubiū quomodo viderint discipuli Christum in colore, & forma peregrini *13 Dubium.*

Respondet Deum potuisse in eis causare illam speciem sic representantem obiectum secundum calorem, quem non habuit, & sic non causat deceptionem, aut illusionem, sicut etiam Angelus potest apparere in corpore assumpto, in forma hac, vel illa, quæ à vidente non discernitur à vera, & reali: sic Christus apparuit discipulis in forma eis competente, & vt dicit Gregorius *tom 23. in Euangelia* quæ designabat discipulis statum mentis, & fidei vacillantis. De inconuenienti illo, quod Doctor remouet, nempe illusionis & deceptionis, plura dici possint, quæ magis spectant ad tractatum de fide. Pro nunc sufficiant verba Gregorij. *Audistis*, inquit, *charissimi: quia duobus discipulis ambulanti in via, non quidem credentibus: sed tamen de se loquentibus, Dominus apparuit: sed eis speciem, quam recognoscerent, non ostendit: hoc ergo egit foris Dominus in oculis corporeis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis: ipsi namque apud semetipsos intus & amabant, & dubitabant: eis autem Dominus foris & presens aderat, & quis esset non ostendebat, &c.* *Solutur.*



Q V Æ S T I O XVI.

Utrum corpus beati ex dotem subtilitatis possit simul esse cum alio corpore.

D. Thom. in *addit. quest. 83. art. 1. & 4. dist. 44. quest. 2. art. 2.* D. Bonauent. *hic 2. p. art. 3. quest. 1.* Richard. *art. 4. quest. 5.* Durand. *dist. 44. quest. 6.* Palud. *quest. 3.* Suar. *3. part. tom. 2. disp. 48. sect. 5.*

VTRUM corpus beati per dotem subtilitatis possit simul esse cum alio corpore? Videtur quòd non, primò, quòd non est ibi subtilitas, quia corpus subtile est, quod habet pauciores partes materiæ sub eadem, vel maiori quantitate; sed corpus gloriosum habet æqualem materiam sub æquali quantitate, sicut prius: ergo, &c. Et quòd non possit esse cum alio in eodem loco per dotem subtilitatis, arguitur sic: per dotem non potest vnum corpus esse in duobus locis: ergo nec duo in vno. Antecedens est manifestum; consequentia etiam patet.

Præterea, quæ vni, & eidem sunt eadem, inter se sunt eadem; sed si vnum corpus erit cum alio corpore in eodem loco, erunt ambo eidem eadem: ergo tunc non erunt duo. Minor probatur dimensionibus illius corporis non possunt esse diuersæ: à dimensionibus loci, patet *4. Phys.* imò sunt eadem simpliciter: & dimensionibus alterius corporis erunt eadem, eodem modo dimensionibus loci: ergo inter se sunt idem.

Præterea, quæ magis conueniunt, magis videntur posse esse simul; sed duo corpora gloriosa magis conueniunt, quàm gloriosum cum non glorioso; & tamen non ponitur, quòd simul sunt per dotem subtilitatis: ergo nec ista.

Contrà, Dam. lib. 4. cap. vlt. & fundatur super illud Ioan. quòd *iannus clausis intrauit Iesus:*

*Vide Var.
in 4. q.
pres.
1. Phys.
tit. 17.
1. Prior. &
7. Top. &
1. Elench.
& 4.
Meta. idè
habetur.
Tex. 37.
& tex. 76.
& circiter.
Cap. 20.*

1

Distinctio XLIX. Quæstio XVI. 611

Iesus: ergo duo corpora fuerunt simul. Et sic etiam in partu Virginis, & in exitu Christi de tumulo. Præterea, Cælum est corpus indiuisibile; sed beatorum corpora transeunt per ipsum, & post resurrectionem poterunt moueri ad omnem situm inferiùs & superiùs; neque hic oportet propter hoc ponere semper miraculum: ergo, &c.

COMMENTARIUS.

1 **V**trum * corpus beati per dotem subtilitatis, &c. In hac quæstione primum adducit funda-

menta sententiæ negatiuæ, & illa soluit. Deinde, adducit modum dicendi aliorum, illumque impugnat. Tertio resoluit quæstionem ex propria sententia, & respondet sententia ad argumenta principalia. Ordo, & diuisio quæstionis.

SCHOLIUM.

Corpus beatum futurum subtile, id est, potens alia corpora penetrare. Probat in ratione ad oppos. ex ingressu Christi clausis ianuis ad discipulos, & ex virginitate, & partu Mariæ, de quo Chrysostomus & Theophylactus in 1. Cor. 15. Damascenus lib. 3. cap. ult. & lib. 4. cap. 28. Anastasius lib. 5. de resur. Anselmus de similit. cap. 53. Lauren. Iustinus de perfect. Monast. c. 53. Richardus hic art. 4. quæst. 5. D. Bonauentura in breuiloq. part. 7. cap. 7. Suarez 3. part. dist. 48. sect. 1. & citans alios sup. adducit Doctor fortia argumenta pro Philosophis contra hanc veritatem.

2 **D**icunt quidam, quod per nullam virtutem, nec creatam, nec increatam possunt duo corpora esse simul: quod probant per Boetium 1. de Trin. qui dicit, *differentiam in numero accidentium varietas facit, & sequitur, tamen locus est semper diuersus, quoniam vnum duobus nullo modo fingere possumus.* Ex hoc arguitur sic, si varietas loci differentiam in numero facit, contradictio est, quod duo corpora sint in vno loco. Opin. Philosoph. Cap. 1.

Præterea, dimensio est formalis ratio repugnandi duo corpora esse simul, quia secundum Philosophum 4. Physic. dimensiones solum faciunt distare per se, non per passionem, nec per aliquid aliud: tunc sic, si forma, vel ratio repugnandi duo corpora esse simul, est dimensio distincta, tunc manente dimensione, quæ est ratio formalis huius repugnantie, impossibile est duo corpora esse simul. Et confirmatur, sic se videntur habere duæ dimensiones ad essendum in loco, sicut duo accidentia contraria ad subiectum; sed duo accidentia contraria non possunt esse simul in eodem subiecto: ergo nec duo corpora habentia distinctas dimensiones, possunt esse in eodem loco. Text. 76.

Præterea, quodcunque inducit vnum contrariorum, expellit reliquum: ergo qui mouet vnum corpus ad locum, expellit reliquum: sed hoc non fieret si possent esse simul in eodem loco: ergo, &c. Quod autem duo accidentia contraria non possunt esse simul in eodem subiecto per nullam potentiam, patet per Philosophum 4. Metaph. qui dicit, quod eadem ratione contradictoria, sicut contraria essent in eodem. Text. 9. & text. 27. quare 10. Met. 1. 15.

3 Præterea, hoc probatur per rationem diuisiuam: in corpore naturali non sunt nisi ista, scilicet materia, & forma, quantitates, & qualitates; sed formalis ratio repugnandi duo corpora esse simul, non est materia, nec forma substantialis, nec qualitates, quia corpus aliquod potest rarefieri, vel condensari manente eadem materia, & forma, & qualitatibus mutata sola quantitate: sed corpus condensatum, & rarefactum occupat alium & alium locum: ergo, &c.

Præterea, duo indiuisibilia non possunt esse immediata, quia tunc non essent duo, ut patet 6. Physic. ergo à simili potest argui, si duo corpora essent simul immediata, non remanerent duo: eadem enim ratio, quæ est de vno, erit de alio. Text. c. 1. & inde.

Præterea, à puncto vno ad punctum vnum non potest trahi, nisi linea vna recta: sed si duo corpora essent simul, possent trahi duæ rectæ lineæ ab vno puncto corporis continentis, ad alium punctum eiusdem corporis contenti, quia in duobus corporibus: ergo, &c.

COMMENTARIUS.

2
Sententia
negatiua.

Dicunt quidam, &c. Hanc sententiam non solum Philosophi, sed etiam aliqui Theologi docent, Durandus in 4. d. 44. quæst. 5. art. 2. Pa-

ludanus quæst. 3. art. 1. pro sententia adducit sex rationes. Prima est ex autoritate Boëtij dicentis: *Locus semper est diuersus, quoniam vnum duobus nullo modo fingere possumus*, &c. Secunda ratio est ex dimensione formali, quæ in diuersis corporibus in ordine ad eundem locum repugnat formaliter, Eius fundam. menta.

ter, sicut duo contraria repugnant eidem subiecto. Tertia est ex repugnantia virtuali agentium; quia quod corpus mouet ad locum, ab eo repellit aliud incompatible. Quarta ratio est, quod hæc repugnantia tantum fundetur in quantitate, non in materia, forma, aut qualitatibus diversorum corporum. Quinta ratio est, quia duo

indivisibilia non possunt esse sibi immediata, quia sic non essent duo 6. *Physicæ. com. 1.* ergo si duo corpora possunt esse simul, non erunt duo. Sexta ratio: quia ab vno puncto ad vnum non potest trahi nisi vna linea recta; sed si duo corpora possint esse simul, possint etiam trahi duæ lineæ: ergo, &c.

S C H O L I V M.

Subtilitatem non consistere in diuisione corporum, qua beatus vult intrare: probat ex ingressu Christi, virginitate Mariæ, & quia corpora beata erunt simul cum cælo empyreo. Ostendit quod beatus non potest figurare suum corpus ad libitum, quia anima non informaret illud sub quacunque figura.

Durand. in 4. d. 44. & Occam. ibidem.

Istæ rationes concluderent Philosophis: sed ^d quomodo saluabunt Theologi, quod duo corpora possunt esse simul, qui hoc habent necessariò ponere: est vna fictio talis, quod anima beata habet potestatem plenam sui corporis: & idè potest corpus suum ad quamcunque figuram, & quantitatem reducere; & sic per corpora porosa potest corpus tale transire, & in eis esse.

Subtilitas corporis gloriosi in quo consistat.

Sed isti, si volunt dicere, quod non potest esse simul cum corpore alio, nisi subintrando poros; magis debent dicere consequenter, quod non potest esse cum alio, nisi quia aliud cedit sibi, sicut aër cedit sagittæ: sunt ergo pro tanto corpora penetrabilia, quia virtus diuina diuidit quodcunque corpus, cum quo volunt esse: & tunc secundum hoc oportet consequenter dicere, quod quotiescunque mouerentur localiter, toties diuidatur eis cælum per potentiam diuinam.

Mar. 19. Ioann. 20.

Contrà, fide tenemus, quod Christus natus est de Maria Virgine: & remanserunt integra claustra Virginis: oportuit ergo corpus Christi esse simul cum partibus illius corporis: ergo tunc fuerunt duo corpora simul. Præterea, Christus resurrexit clauso sepulchro; quod patet per mulieres venientes ad sepulchrum, & dicentes, *Quis reuoluet nobis lapidem, &c.* Præterea, Christus intrauit ad discipulos suos ianuis clausis: ergo tunc corpus Christi fuit cum alio corpore. Præterea, corpora beatorum sunt simul cum cælo empyreo.

Beatus non potest corpus suum redigere in figuram minorem ad libitum.

Nec valet illa fictio de paruitate, quia nullum corpus impassibile recipit passionem sibi disconuenientem; sed corpora gloriosa sunt impassibilia: ergo non recipiunt tales passionem; rarefactio autem & condensatio sunt passionem disconuenientes corpori impassibili, quia causantur à passione, &c.

Præterea, anima humana requirit corpus, quod perficit, esse organicum: sed si fieret corpus ita strictum, sicut poneret ista fictio, iam non esset organicum. Vnde si non remaneret quantitas, & figura corporis humani, quando est in alio corpore, non esset informatum ab anima, quia hæc sunt necessaria dispositio ad animationem. Philosophis enim benè non posset efficaciter concludi oppositum: ad rationes tamen eorum potest responderi, & hoc sufficit.

Ad arg. pro opin. Philos.

Ad Primum argumentum de Boëtio de accidentibus; dico quod nulla accidentia faciunt intrinsecè indiuiduum: ergo multò minùs locus: corpus enim quantum est esse, posset esse, si locus non esset, & tamen esset indiuiduum: sed nunc non est corpus sine loco. Ratio est, quia est cum alio corpore, & in alio, in quo continetur; sicut etiam patet de vltima sphaera: vnde auctoritas Boëtij est sic intelligenda, quod facit diuersitatem in numero, id est, ostendit nobis diuersitatem numeralem, quia faciunt nobis innotescere: & quoad hoc melius facit locus ad innotescentiam, quam alia: quia cognitione naturali non possemus illa duo corpora cognoscere, si ipsa essent in vno loco.

Ad 2. Quid repugnantia virtualis & formalis.

Ad secundum dico, quod aliqua possunt esse repugnantia dupliciter; vel formaliter, vel virtualiter. Virtualiter repugnat causa naturalis, & oppositum sui effectus; verbi gratia, si cælum de hac materia produceret vermem, & si agens fortius superueniret, & induceret in eandem materiam, formam aliquam oppositam formæ vermis; ista virtualiter opponitur cælo, vel Soli. Formalis repugnantia est illorum, quæ secundum se, & suos effectus opponuntur, vt album, & nigrum. Sed in proposito inter dimensionem, & dimensionem non est repugnantia formalis, quia talis non est nisi quoad

si quoad idem subiectum : non autem sunt in eodem subiecto; nec formaliter etiam, quia quanta non repugnant formaliter : si ergo sunt repugnantia, hoc non est, nisi respectu loci, ex eo, scilicet quod locus est spatium capax corporis : sed vnum corpus replet locum vnum, quantum natus est repleri : ergo aliud corpus quoad hoc, opponitur sibi, quia non potest habere effectum illum in illo loco : quia vt est probatum, est repletium eius, quantum natus est repleri.

6 Patet ergo, quod non est oppositio, vel repugnantia formalis; quia non in eodem subiecto : nihil enim vnum informatur ab eis. Est ergo tantum oppositio virtualis in quantum effectus vnius causæ, qui est repletio loci, eo modo, quo quantitas habet efficaciam, vel efficientiam respectu effectus, qui est esse in loco repletive, opponitur alteri causæ naturali : ergo non repugnat corpori esse cum alio corpore, nisi quia est repletium loci naturaliter quantum aptus natus est impleri : sed quia iam repletum est, non potest ibi esse, quia non esset cum effectum suo, qui naturaliter sequitur effectum corporis in loco : hoc autem non impedit quin per potentiam divinam possit ibi esse, quia Deus potest facere causam naturalem sine suo effectum, sicut calorem, potest facere sine calefactione, vt patet in illis tribus pueris, ex Daniele cap. 3.

Virtualis repugnantia est, cum effectus vnius causæ naturalis opponitur alteri causæ naturali.

Similiter potest facere effectum sine tali causa, qui naturaliter non sequitur, nisi ex tali, vel tali causa, vt virginem parere sine concipere : parere enim est effectus concipere : licet ergo sint repugnantes dimensiones quoad hoc, quod duo corpora non possunt esse simul in eodem loco, quoad talem virtutem naturalem : tamen non est repugnantia, quoad virtutem, quæ potest facere causam sine suo effectum naturali, & è conuerso effectum sine sua causa naturali.

Ad argumentum ergo dicendum, quod dimensio benè est ratio repugnandi duo corpora esse simul virtute naturali, quæ non potest facere causam sine suo effectum naturali : non tamen diuina, quæ hoc potest, nec est hæc repugnantia formalis; talis enim est inter contraria : illæ autem dimensiones non sunt contrariæ; nec sunt in eodem formaliter : & ideo non sequitur, quod additur ibi in confirmatione, quia si contraria non possunt simul esse in eodem subiecto, quod etiam non possunt esse corpora duo in eodem loco.

Dimensio est ratio repugnandi duo corpora esse simul naturaliter, non supernaturaliter.

7 Ad aliud dico, quod verum est, quod non inuenitur aliud, quod sit causa illius repugnantia, nisi dimensio; qualis autem sit ista repugnantia, dictum est. Ad aliud, quod si duo puncta manentia duo, non possunt esse simul, nisi fiant vnum : ergo & diuisibilia, scilicet corpora. Dicendum, quod consequentia non valet, quia indiuisibilia nullam habent magnitudinem, & ideo fiunt vnum simul posita : diuisibile autem licet sit cum alio diuisibili, manet tamen magnum : & ideo non valet, si indiuisibilia non possunt esse sic, nisi fiant vnum : ergo diuisibilia.

Ad 3. Fiant vnum non entia tunc, sed quoad magnitudinem, quia duo puncta non sunt maius vno secus est de diuisibilibus, etiam penetratis.

Alij dicunt aliter, quia possumus loqui de quanto mathematico, vel naturali. Si loquamur de mathematico, dicunt quod nec quantitas talis, nec terminus eius possunt esse distincta ab alio quanto mathematico, & termino eius, nisi situ : & ideo si non distinguuntur situ, non distinguuntur, & per consequens efficiuntur vna quantitas. Si loquamur de quanto naturali, hoc non oportet, quia licet tales quantitates sint in eodem loco, nec distinguantur situ, distinguuntur tamen subiecto, quæ sunt distincta qualitatibus naturalibus.

S. Bonau. dist. pref. art. 2. q. 1. Reicit sol. D. Bonau. Quantum mathematicum, & naturale sunt idem. 2. Phys. text. 18.

Hanc solutionem non intelligo. Arguo sic, linea mathematica non est aliud realiter à linea naturali, licet Mathematicus non tradat scientiam, vt huius existentis, sed de linea secundum se : sic etiam naturalis non tradit scientiam de hac rosa existente, sed de rosa secundum se, nec etiam est necessarium ad considerationem Mathematici, quod linea sit in materia, sed solum facit, quod sit de consideratione eius, quod possibilibus sit in natura esse, prout tamen consistit realiter, non est nisi illa, quæ perficit rem naturalem : sic enim verè sunt in naturalibus, & pro tanto dicit Philosophus, quod abstrahentium non est mendacium; non dicit, diuidentium : considerat enim Mathematicus, quod est in substantia, non considerando subiectum. Sequitur ergo, si linea naturalis potest distingui à naturali sine distincto situ, quod similiter linea mathematica à linea mathematica, cum sint realiter idem.

8 Per hoc ad argumenta dico, quod sicut sunt duæ lineæ naturales, sic similiter sunt duæ mathematicæ, quoad rem, non tamen quoad considerationem mathematicam : Mathematicus autem considerat omnes lineas vt sunt partes alicuius figuræ : omnes autem lineæ simul existentes sunt partes vnius figuræ, vt puta basis vnius trianguli, vel tale quid. Et sic est illud verbum Commentatoris glossandum, quod quæcunque

2. Phys. 22.

6. *Phys. & 1. de Generat. Text. c. 1. & 2. & inde.*

in mathematicis sunt simul, sunt vnum: quod est verum quoad constitutionem aliquius figuræ: tamen in se non sunt vnum: non tamen constituunt maius aliquid duæ lineæ simul, quàm vnâ; idè non accipitur nisi vt vnâ, constituendo figuram. Eodem modo de puncto, qui est cum alio puncto, quod non sunt duo puncta, pro tanto, quia non constituunt aliquid maius; indiuisibile enim additum indiuisibili non facit maius: non tamen sequitur quod sunt vnum: & hoc sufficit Philosopho quoad intentionem suam, in 6. *Phys.* tantùm enim vult ibi probare, quod non sit ex eis continuum; & hoc est verum. Similiter in proposito dico de istis duobus corporibus, quod non faciunt maius, vt sunt in loco vno: non tamen sequitur, quod sunt vnum. ex hoc patet ad aliud de lineis tractis inter duo puncta, &c.

COMMENTARIUS.

3 *I*ta rationes concluderent, &c. Dicit has rationes concludere Philosophis, qui naturalem discursum, & virtutē causarum tantùm cognouerunt. Hinc reiecitur sententia eorum, quos insinuat Abulensis in cap. 17. *Math. quest.* 119. qui dixerunt duo corpora esse simul viribus naturæ; quam reiecit Richardus in hac d. art. 4. *quest.* 5. eamque impugnant Philosophi cum Aristotele in 4. *Phys. cap.* 3. *text.* 27. nam & experientia, & ratio est in oppositum.

4 *Q*uomodo saluabunt Theologi, &c. Penetratio corporum, vt dicit, necessariò saluanda est Theologis: adducit autem quorundam sententiam, quam ipse vocat fictionem. Hi dicunt quod anima beata habeat potestatem plenam sui corporis, & idè potest corpus suum ad quamcunque figuram, & quantitatem reducere; & sic per corpora porosa potest transire, & in eis esse: sed illi, inquit, si volunt dicere quod non potest corpus gloriosum esse simul cum alio corpore, quàm subintrando poros, magis debent dicere consequenter, quod non potest esse cum alio, nisi quia illud ei cedit, sicut aer cedit sagittæ, & ita corpora alia erunt penetrabilia à corpore glorioso, quatenus diuina virtus ea diuidit, & consequenter quotiescunque mouentur beati localiter, Deus ipsis diuidit cælum, vel alia corpora; hoc enim consequenter dicendum est, si non possunt aliter esse cum alio corpore: quia & ipsi pot non sunt vacui: ergo vt sint in poris, expellitur id quod aliàs in poris fuit: quod si retenta figura, & dimensione naturali velint moueri, tunc non possunt nisi diuidendo corpus oppositum.

5 *C*ontrâ, fide tenemus, Hanc sententiam satis indicat non esse tutam in fide per hoc argumentum; quod etiam indicant Suarez, & alij, qui dicunt eam præbere occasionem errandi. Probat ergo Doctor oppositum: quia fide tenemus, inquit, quod Christus natus est de Maria Virgine, & remanserunt integra claustra Virginis; oportuit ergo Corpus Christi fuisse simul cum partibus alterius corporis: ergo tunc fuerunt duo corpora simul. Antecedens est omnium Patrum, & fusè tractatur in materia de Incarnatione. Deinde, Christus surrexit clauso sepulchro, intrauit ad discipulos ianuis clausis; ergo tunc fuit simul cum alio corpore. Deinde, corpora beatorum sunt simul cum cælo empyreo.

6 Respondet Durandus partum Virginis fuisse miraculosi, non quod exierit cum penetratione, sed per solam dilationem membrorum, vt via naturalis, quæ est discontinua, daret locum corpori Christi, vt sine diuisione, aut fractione clau-

stri virginalis posset exire: quod etiam contineret in statu innocentie: ita vt sit miraculum in natura lapsa, non autem in natura integra. Solutio hæc est satis teneraria, quia inde sequeretur quod natiuitas & modus natiuitatis Christi non fuerit singularis: quia non haberet aliud miraculū, aut supernaturalitatem, quàm id quod naturaliter fieret in statu innocentie, dato quod ita fieret. Vnde falsa essent verba Sophronij in epistola lecta in sexta synodo aet. 11. illum partum asserit fuisse ex maximis miraculis diuinæ virtutis. Videantur Patres. Aliud exemplum adductum, nempe quod Christus sepulchro clauso exierit in sua Resurrectione, est communis traditio Ecclesiæ, quam docet Nazianz. in dialogo Augustin. sermone 138. de tempore. Hieronym. epistola 15. ad Hebdibiam. Iustinus Martyr. q. 117. ad gentes Chrysostomus homil. 50. in Math. Bernardus serm. 1. de Resurrectione, & alij, vt patet ex interpret. in Math. 28.

Tertium exemplum de ingressu ad discipulos ianuis clausis, est Scripturæ, eamque sic exponunt Patres, quos frequenter citat Suarez in 2. tom. disput. 6. ad 3. part. & Maldonatus in Ioann. 20. Durandus respondet primò Christum ingressum ianuis clausis, non per ianuas, sed per fenestras, aut alium locum patentem. Hanc solutionem Calvinus assumpsit pro fundamento plurium errorum: est furilis illusio Scripturæ, quæ hanc emphasim exprimit ad declarandum miraculum, & ita Patres intelligunt, & reliqui interpretes; dicit deinde, si per ianuas fuerit ingressus, eas aperuisse, & mox clausisse. Deinde dicit, si per ianuas fuerit ingressus, mutasse figuram, vt per rimam aliquam transierit apertam. Tandem respondet Christum diuina virtute se posuisse in medio discipulorum ianuis clausis, non transeundo per loca intermedia: meritò Sorus appellat has responsiones cauillationes. Videantur præfati authores, qui doctissime & acriter has euasiones impugnant; Doctor autem illam fictionem, vt ipsi vocant, impugnat quatenus dicit in potestate animæ gloriose esse mutare figuram, minuere quantitatem. Primò ex dote impassibilitatis.

Nec valet, inquit, ista fictio de paruitate: quia nullum corpus impassibile recipit passionem sibi disconuenientem; sed corpora gloriosa sunt impassibilia: ergo non recipiunt tales passiones: rarefactio autem & condensatio sunt passiones disconuenientes corpori glorioso, quia cōsantur à passione, scilicet reali: ergo, &c. Confirmari potest ex iis, quæ dicta sunt de resurrectione corporum cum omni integritate eorum, quæ ad veritatem, & perfectionem naturæ faciunt, permanens in eodem statu ex Apostolo, in quo immutantur à corruptione in corruptionem, ab ignobilitate ad gloriam.

Reiecitur ut falsa, & teneraria.

Responsio Durandi.

7 Ratio Doctoris.

Manet debita figura, & quantitas in corpore glorioso.

8 *Secunda ratio.* *Manet organizatio.* Secundò impugnatur : quia anima, ut informet corpus, requirit ut sit organicum; sed si fieret ita strictum, ut possit esse in poro alterius, quantumlibet exiguo, *Ut ponit, inquit, illa fìctio, tam non esset organicum* : quia si non remaneret quantitas, & figura corporis humani, non esset informatum anima rationali, & secundum connaturalem modum existendi, quem nequit immutare beatus.

Instantia. Quòd si instes per exemplum Corporis Christi in Eucharistia, quod retinet animam in qualibet parte specierum; hoc nihil iuvat, quia etiam retinet quantitatem, & figuram in ordine ad se totam, licet careat extensione in ordine ad locum. In proposito nequit beatus non retinere modum connaturalem existendi, & quantitatem, & figuram ad hunc necessariam, quæ si desineret, desineret etiam anima informare naturaliter corpus eius, quòd ex se non est nata naturaliter informare sine his. Subiicit tandem Doctor probationem necessariam ex causis naturalibus non suppetere, qua convincerentur Philosophi; ac proinde sufficere respondere eorum rationibus, quas præmisit in priori paragrafo.

9 *Ad rationes Philosophorum.* *Ad primam.* *Ad secundam.* *Duplex oppositio.* *Ad primum, &c.* Quod fuit ex autoritate Boëtij, intelligendus est quoad diuersitatem, ut nobis manifesta sit, quæ maximè colligitur ex diuersitate loci.

10 *Ad secundam.* *Duplex oppositio.* *Ad primum, &c.* Respondet duplicem esse oppositionem; aliam formalem, aliam virtualem; illa est forma respectiue ad idem subiectum; hæc est causæ naturalis, respectu eius, quod est oppositum suo effectui; dimensiones autem diuersorum corporum non repugnant sibi inuicem formaliter, sed tantum virtualiter, & quasi effectiue, quatenus vnum corpus implet locum adæquatè, quantum naturaliter repleti potest, & facit distare eius latera; hunc effectum sequitur expulsio, & resistentia ad aliud corpus in eodem loco, qui est effectus secundarius corporis locati; hunc autem Deus potest suspendere, inducendo aliud corpus penetratiue in eodem loco: quia potest effectum causæ efficientis suspendere, manente ipsa causa, sicut suspendit ignem Babylonicum, ne pueros incenderet, qui incendit alios: quamuis ergo ad virtutem causæ naturalis sit repugnantia inter duo illa quantum

Dimensions diuersorum corporum repugnant virtualiter, non formaliter. *Repugnantia virtualis potest à Deo impediri.*

ad locum, quia hæc nequit suspendere effectum causæ naturalis; tamen non est repugnantia quin possit Deus suspendere talem effectum.

Hunc modum repugnantiae corporum in eodem loco admittunt communiter Theologi, ut D. Thomas *dist. 44. quæst. 2. art. 2. quæstionc. 2.* Henricus *quodlib. 9. quæst. ult.* & est communissima, ut postea videbitur. Ratio est ex parte corporis moti, quia per motum localem actiue acquiritur ei locus, vel ipsum acquirit, si ex intrinseca virtute acquirit: ergo locatio passiva eius erit per modum termini producti: Vnde Philosophus admittit motum dari ad Prædicamentum *Vbi*, sicut ad quantitatem, & qualitatem. Hinc etiam corpus locatum facit distare latera loci, Eodem ergo in genere conseruat locum, quo illum acquirit, scilicet efficienter: quia non formaliter, aut materialiter cum non respectu eiusdem intrinseci datur repugnantia: resistentia ergo, quam habet corpus locatum ad aliud superueniens, fundatur in virtute actiua, vel quasi actiua naturali, qua acquisiuit locum, & facit distare latera eius, & conseruat locum: quamuis alia resistentia eidem competere possit per accedens ob grauitatem, ut facile non sit mobile à loco, in quo est.

Ad tertium respondet resistentiam esse ex dimensionibus effectiue, & virtualiter repugnantibus, non autem formaliter, qualis est inter contrarias formas, aut incompatibiles in eodem loco. Et per hoc patet ad quartum in ordine.

Ad quintum, negat consequentiam: Diuisibilia enim non faciunt maius, duo verò corpora in eodem etiam loco retinent suam quantitatem, & magnitudinem, Adducit præterea responsionem aliorum, qui dicunt duo corpora in eodem loco posita distingui quidem naturaliter, non verò mathematicè: quia illa distinctio est per entitatem; hæc verò per situm, qui idem est in illis duobus in eodem loco positis. Hanc reijcit Doctor: quia sicut duo corpora, aut duæ lineæ sunt naturaliter distinctæ, ita etiam mathematicè; non tamen erunt secundum considerationem mathematicam, quia Mathematicus non considerat lineas nisi in ordine ad figuram, neque diuersitatem earum, nisi in ordine ad figuram diuersam, quam componunt. Videtextum.

Communis est sententia. *Declaratur.*

Resistentia effectiua locati.

Ad 3.

Ad 5.

Responsio aliorum.

Reijctur.

Consideratio Mathematica.

SCHOLIUM.

Sententia asserens subtilitatem esse qualitatem, qua beatus possit alia corpora penetrare, probatur latè quinque rationibus, & explicatur, quomodo per virtutem actiuam illius qualitatis fiat penetratio.

9 *h* *Rich. prædist. art. 4. q. 5. op. 28.* Via illarum rationes non concludunt, ut videtur, & quia secundum Theologiam oportet ponere duo corpora posse esse simul, idè dicunt aliqui, quòd sic. Sed quidam dicunt hoc modo, quòd corpus subtile gloriosum virtute formæ creatæ alicuius, scilicet subtilitatis, potest esse cum alio corpore non glorioso, vel non subtili. Hoc probatur, cuiuscumque dotis corporis gloriosi est aliquis effectus proprius; sed dotis subtilitatis non videtur esse alius effectus, nisi penetrare aliud corpus, & facere se simul cum eo: sed hæc est forma creatæ, & datur corporibus gloriosis: ergo possunt se facere cum alio corpore non subtili, penetrando ipsum.

Præterea, quòd possit esse per virtutem creatam, probatur, Christus in quantum Deus posset facere, quòd corpus gloriosum posset esse cum glorioso: nec tamen conceditur, quòd corpus gloriosum posset se facere cum glorioso, sed benè conceditur

quòd posset se facere cum non glorioso: ergo non est tantum per potentiam diuinam, sed per aliquid, quod est in eo: hoc non videtur esse, nisi dos subtilitatis: ergo, &c.

Præterea, si subtilitas non esset ratio corpori essendi cum alio corpore, tunc corpus post resurrectionem esset in onus animæ: anima autem quantum est ex se, potest esse cum quocunque corpore: & si corpus non posset esse similiter, iam esset sibi in onus, quia non posset cum ipso, quod posset sine ipso; quod est contra Aug. 22. *de Ciuit. Dei*.

Præterea, sicut Deus potest facere illud corpus pro nunc cum alio corpore, ita potest ipsum conseruare per aliquod tempus, & perpetuò: ergo à simili poterit sibi dare aliquam formam, per quam fit cum illo alio corpore, & per quam perpetuò conueniat sibi esse cum alio pro libito voluntatis suæ.

Præterea, magis videtur de corporibus gloriosis; quòd per subtilitatem suam possent se facere cum alio corpore, quàm de aliis non gloriosis; sed aliqua corpora inveniuntur, quæ possunt se facere cum alio corpore; vt ignis cum ferro, & vinum similiter cum pane: ignis enim in ferro oportet, quòd verè sit, quia ferrum ignitum habet propriam actionem ignis, & ferri: vnde si est acutum, comburit, & scindit. Nec potest dici quòd sit ibi in aliena materia, quia duæ formæ substantiales specificæ non possunt simul perficere materiam eandem. Quòd etiam viuum sit verè cum pane, patet, quia vera est humiditas in pane: sed humiditas non potest separari à proprio subiecto, vt patet per Philosophum *secundo de Anima*, de humido aquæ, & aëris, licet minùs sit sensibile in aëre, vnde semper quando comprimuntur digiti in aëre, vel in aqua secundum eum, intercipitur aqua, vel aër inter digitos; quod patet, quia manet humiditas, quæ non separatur ab eis: ergo multò magis hoc possunt corpora gloriosa.

Tex. 113.
Quando. f.
panis in-
tingitur
vino.
Lib. 2. text.
cap. 10.
Penetrati-
uum tripli-
citer dici-
tur.

Modus ponendi est iste, subtile est aptum ad penetrare; vnde in lib. 2. *de generatione* dicitur, quòd subtile est, quod est repletium partium: aliquid enim potest dici penetratiuum tripliciter, vel quia habet figuram acutam aptam ad penetrandum; alio modo propter materiæ paruitatem, vt sunt corpora rara: tertio modo per virtutem actiuam aliquam in eis: & illo tertio modo est subtilitas in proposito in corporibus gloriosis.

COMMENTARIUS.

83
Sententia as-
serens pen-
etrationē pro-
uenire à
qualitate su-
peraddita.

Quia illa non concludunt, &c. Nempe quas iam soluit positas pro Philosophis. Adducit modum differendi eorum, qui dicunt hanc penetrationem corporum oriri ab aliqua qualitate intrinseca ipsis corporibus gloriosis, quæ sit principium effectiuium penetrationis. Hæc est Richardi. *hic art. 4. quest. 4. & 5.* est D. Bon. *art. 6. quest. 1.* Petri à Tarantasia *in hac distinctione, problemate 4. quest. 3.* Probabilem tenet Palacius *hic dist. 3. conclus. 7.* Eam in re ipsa vel similem defendit Suarez probabilem in 2. *tom. in 3. p. disp. 48. sect. 5.* quatenus dicit esse formam intrinsecam, quæ vt instrumento Deus vtitur ad penetrationem, ei datam intuitu beatitudinis. Elle qualitatem supernaturalem actiuam penetrationis docet Lusitanus *lib. 5. in tertio tomo q. 6. ar. 4. §. 2. & in sequentibus.* Hic autem Doctor adducit rationes pro hac sententia quinque. Prima, quia dos supponitur qualitas corporis gloriosi; sed alius eius effectus in proposito nequit assignari nisi penetrare: ergo, &c.

Fundamenta
aius.
1. Ratio.

Secunda, quia Deus potest facere corpus gloriosum cum alio glorioso simul, hoc negatur beatiss, sed tantum facere se simul cum corpore non glorioso: ergo virtute propria id habet.

Tertia, si virtute propria non posset esse cum alio, esset onus & impedimentum animæ, quæ potest esse cum alio corpore, contra Augustinum.

Quarta, Deus potest facere, & conseruare corpus gloriosum cum alio simul: ergo dare ei virtutem intrinsecam, qua sic possit fieri cum alio.

Quinta, ignis penetrat ferrum, vinum panem virtute naturali: ergo à fortiori Deus potest tribuere dotem subtilitatis corpori glorioso, quo aliud penetrat in eodè loco. Modus autem declaratur: quòd penetratio fiat per subtilitatem ex Philosopho *lib. 2. de generat. text. 1. cap. 10.* tribus modis contingere potest, nempe ex subtilitate figuræ, ex raritate materiæ, & ex virtute actiua: hoc tertio modo conuenit dos subtilitatis corpori glorioso. Ad has rationes respondet Doctor *infra §. Alium est intellectus*, &c. Primum enim adducit alios modos dicendi.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

5. Ratio.

Triplex mo-
dus penetra-
tionis.

SCHOLIUM.

Sententia asserens subtilitate tolli grossitiem corporum, qua remota, corpus beatum potest penetrare alia: hanc, quæ videtur D. Thom. latè impugnari Doctor. Impugnari etiam quod dicitur hic distinctione situm esse à causa secunda, sed solum Deum posse facere quòd corpus hoc sit distinctum ab illo, cuius materia non est distincta situ à materia huius.

Petrus de i
Tar. in pre-
sentia d. pro-

Alij dicunt, quòd repugnantia, quare duo corpora non possunt simul esse in eodem loco, est propter grossitatem quam habent corpora non gloriosa; & ideo

11

ideò illis corporibus cùm datur qualitas opposita, scilicet dos subtilitatis, tunc tollitur illa grossities. *D. Thom. in 4. d. 44. ar. 2. q. 2. Tex. 6. 50. & 51.*

Contrà, gloriosum corpus est sensibile corpus; sed fatuum est dicere quòd locus, in quo est corpus sensibile, sit vacuum. Vacuum enim (vt patet 4. *Physic.*) est locus priuatus corpore: ergo vbi est corpus gloriosum, ibi est corpus sensibile, & per consequens est locus plenus, nec hoc tollit ab eo gloriam, nec gloria tollit ab eo quin repleat locum: sed corpus replens locum expellit aliud corpus naturaliter: ergo gloria non tollit quin expellat aliud corpus: ergo, &c.

Præterea, si dimensiones essent separatae à corporibus, non essent simul cum alio corpore, vt probat Philosophus 4. *Physic.* sed illæ dimensiones non essent sensibiles, & tamen expellerent aliud corpus: ergo multò magis facit corpus sensibile hoc; & hoc est contra modum ponendi secundum, quia quantumcumque tollatur grauitas, nihilominus remanet corpus naturale sensibile, vt patet de cælo, quod nec est graue, nec leue, vel etiam stella. *Tex. 76. 1. & 2. Cali.*

Præterea, ad definitionem dimensionum quantitatis pertinet situs: quia quantitas permanens per hoc distinguitur à successiua, quòd habet partes in toto ad vnum terminum communem copulatas: sed definitio non potest separari à definito: ergo per dotem non potest separari situs à quantitate: ergo, &c. *In Pradicationis, & 5. Mat.*

12 Præterea, ad hoc est auctoritas Boëtij allegata. Præterea, linea addita lineæ, secundum quòd nata est facere extensionem, facit maius: ergo corpus additum corpori secundum omnem extensionem facit maius: sed hoc non videtur per dotem tolli, dotem dico subtilitatis: ergo, &c. Præterea, nihil impedit vnitatem situs, nisi quòd est ratio distincti situs: sed nihil potest esse ratio distincti situs, nisi quantitas distincta: sed hoc non tollitur per dotem: ergo, &c.

* Dicunt ergo isti, quòd ad hoc quòd duo corpora sint simul, requiritur necessarid quòd habeant distinctum esse, & quòd illud esse distinctum seruetur, vel conseruetur eis, quando sunt in eodem loco: esse autem illud dependet à causis suis, & principalius ab essentialibus causis, & proximis: sed à Deo dependent omnia, sicut à causa prima, ita quòd à causa secunda est distinctio situs, quam requirit diuersitas materiæ, quæ est principium indiuiduationis. Et quia Deus potest conseruare rem in esse, cessantibus causis secundis, vt patet per primam propositionem de causis, ideò Deus, & solus Deus potest tantum facere quòd esse corporis vnius maneat distinctum ab esse alterius corporis, quamuis eius materia non sit distincta in situ à materia alterius corporis: & ponunt exemplum de Sacramento Altaris, vbi Deus separat accidens à subiecto. *D. Thom. vbi supra & quæst. 2. quæst. 20.*

1 Contrà, hæc opinio prima facie non est probabilis, quoad hoc quòd dicit, quòd solus Deus potest facere distinctionem duorum corporum existentium simul in eodem loco: quia vel manent principia essentialia illorum corporum, vt sunt in vno loco distincta, vel non. Si sic, ergo solus Deus non conseruat, quia cum causis secundis manentibus & concurrentibus conseruat, cuius contrarium dicitur in positione. Si non, sequitur quòd Deus conseruat, & non conseruat; conseruat secundum te illud esse distinctum eis: non conseruat, quia non conseruat nisi quòd est: sed materia illius est istius secundum te, & forma illius est forma istius: ergo non sunt distincta: ergo nec conseruat vt distincta, & sic ponis contradictoria. *Colligit ex dictis D. Thom. contradictoria.*

13 Et si dicas quòd Deus potest conseruare corpora illa distincta sine distinctione principiorum intrinsecorum illorum, hoc non valet, quia Deus nunquam conseruat, nec potest conseruare rem sine suis principiis essentialibus, vt hominem sine anima, & corpore humano: ergo nec distinctas res potest conseruare sine distinctis principiis essentialibus: talia autem sunt materia, & forma: ergo, &c. *Deus non potest conseruare corpora distincta, nisi habeant principia distincta.*

Præterea, aut situs est formale, & essentialis distinctiuum quantitatis, vel accidentale: si formale, & essentialis: ergo Deus de potentia absoluta non potest conseruare quantitatem distinctam ab alia, sine situ alio: Deus enim nunquam potest effectum causæ formalis facere sine ipsa, vt hominem sine anima humana, & album sine albedine: quia est contradictio: si est accidentalis ratio distinctionis quantitatis, ipse situs: ergo ante illud habuit causam essentialem formalem propriam distinctionis, & tunc Deus conseruat illa distincta secundum causas suas priores sine illo, quòd est accidentalis ratio: vel si est causalis, tunc conseruat causam sine effectū, & hoc est bene possibile. Præterea, in causis eiusdem ordinis non est circulus; sed distincta quantitas est causa effectiua distinctionis situs, vt ipse accipit in vna ratione, contra aliam opinionem: ergo è conuerso situs non potest esse causa effectiua distinctionis quantitatis. *Repugnat esse effectū formalem sine forma.*

COMMENTARIUS.

16
Sententia
Taranasij.

Alij dicunt quòd repugnantia, &c. Hic modus est Petri à Taranasia *suprà* citati, qui cum superiori sententia admittit qualitatem dari corpori glorioso, per quam potest simul esse cum alio corpore in loco; effectum autem huius refundit in hoc, quod est tollere impedimentum, cui annexa est repugnantia illa duorum corporum in eodem loco; & hanc dicit esse grossitiem, seu corpulentiam, quam dicit per dotem auferri corpori glorioso.

17
Impugnatur
argumentis
D. Thom.
1. Ratio.
2. Ratio.

Contra hanc sententiam adducit argumenta, quibus eam impugnatur, D. Thomas in 4. d. 44. q. 2. art. 2. *quæstionibus* 2. Primum est, quòd corpus gloriosum est sensibile, & spatium, in quo est, non est vacuum, sed plenum. Secundum, quòd dimensiones non sunt sensibiles: tamen si essent separatæ expellerent aliud corpus ab eodem loco: ergo non fundatur repugnantia in accidentibus sensibilibus corporis, sed in dimensionibus; quia sublata gravitate, quæ intelligitur per illam corpulentiam, simul cum aliis sensibilibus, & manentibus dimensionibus, adhuc maneret repugnantia. Tertium, quia situs non potest separari à dimensu quantitate, & includitur in eius definitione, qua dicitur habere partes in toto copulatas termino communi: ergo per dotem non potest separari situs.

3. Ratio.

4. Ratio.

5. Ratio.

6. Ratio.

Quartum est ex autoritate Boëtij *superiùs* citata. Quintum, linea addita lineæ secundum quòd nata est facere extensionem, facit maius: ergo & corpus corpori; sed hoc non videtur per dotem tolli; ergo, &c. Sextum, nihil impedit unitatem situs, nisi quod est ratio distincti situs; sed ratio distincti situs est quantitas distincta, quæ non tollitur per dotem: ergo, &c.

18
Falsa interpretatio re-
sistitur. " "

Has rationes D. Thomæ admittit Doctor tanquam concludentes, quantum ad hoc quòd probant dotem subtilitatis non auferre à corpore glorioso dimensiones, aut repletionem actua-lem loci per easdem dimensiones, aut alia accidentia connaturalia, quæ recepit corpus gloriosum in sua resurrectione. Vnde, nescio unde Conimbricenses attribuant Doctori oppositam sententiam in 4. *Physicorum* cap. 5. *quæst.* 4. art. 2. nisi forte eluserit eos textus Doctoris, quatenus in sequentibus impugnatur modum dicendi D. Thomæ, & hanc fortè impugnationem interpretati fuerint in subsidium primæ sententiæ, quam ipse reiicit rationibus D. Thomæ adductis; quod amplius confirmat in fine paragraphi sequentis.

k Dicunt ergo illi, &c. Hic adducit sententiam D. Thomæ, quatenus asserit diuina virtute fieri distinctionem corporum in eodem loco, quando non diuersus est situs. Dicit sanctus Doctor distinctionem sumi à materia sub quantitate diuersa in diuerso situ; distinctionem, inquam, indiuidualem esse à materia sic signata quantitate, & diuerso situ secundum quantitatem diuersam.

19
Modus ex-
plicandi D.
Thom.

l Contrà, hac opinio prima facie, &c. Hanc sententiam impugnatur: quia vel manent principia essentialia illorum corporum in vno loco distincta, vel non; Si sic, ergo solus Deus non conseruat distinctionem corporum, sed mediantibus suis partibus, & causis secundis. Si non; sequuntur contradictoria, nempe Deum conseruare distinctionem, & non conseruare; conseruat ex positione præmissa: non conseruat; quia materia & forma vnus est materia, & forma alterius: ergo non sunt distincta.

20
Impugnatur,
Distinctio
corporum
prior situ.

Si dicatur Deum conseruare illa corpora, vt distincta sine distinctione partium, non videtur subsistere, quia nequit conseruare totum sine suis partibus: ergo neque distinctas res sine principis distinctis.

21
Est ab in-
trinsecu
principiis.

Deinde, vel situs est distinctiuum essentialē vnus quantitatē ab alia; vel accidentale tantum. Si essentialē, Deus de potentia absoluta nequit conseruare quantitatem distinctam ab alia sine situ distincto; sicut neque hominem sine suo essentiali, & formali, vt anima. Si est accidentale distinctiuum situs: ergo potest Deus conseruare corpora vt sunt distincta per causas priores sita absque ipso situ.

Possunt con-
seruari di-
stincta sine
diuerso situ.

Præterea, quantitas distincta est causa effectiua situs distincti vt distincti: ergo ne detur circulus committitur in probatione, situs nequit esse causa prima distinguendi quantitatem. Deinde, quantitas diuersa corporum in eodem loco manet terminata, & non continuata alteri: ergo diuersa. Conueniunt ergo in hoc D. Thomas, & Doctor quòd in corpore glorioso in eodem loco cum alio existente maneat quantitas, & dimensiones distinctæ, licet situs sit idem in ordine ad locum, quem vtrumque corpus ita replet, vt si auferatur aliud, adhuc maneat spatium repletum per corpus existens. Conueniunt etiam in hoc, quòd per nullam qualitatem creatam fieri possit penetratio illa corporum, sed sola diuina virtute. Differunt tantum quantum ad illud principium distinctiuum quantitatis: primò, quòd ad præsens institutum non facit, sed magis ad modum indiuiduationis rei materialis; de quo agitur in 2. d. 3. *fusiùs* à Doctore.

22

Punctum in
quo conuenit
Doctor cum
D. Thoma.

Discrimina in-
ter ipsos.

SCHOLIUM.

Sententia Henrici subtilitatem in eo consistere quòd Deus potest conseruare prius, scilicet distinctam quantitatem, sine posteriore, id est, distincto situ. Hanc non impugnatur Doctor, quia fortè benè explicata est propria, & ideo iuxta eam soluntur argumenta sententiæ posite num. 9. quæ ponit subtilitatem esse qualitatem.

Henric.
quodlib. 9.
q. ult. sol.
1. art.

Alius est intellectus, quòd in ordinatis secundum prius, & posterius, Deus potest conseruare prius sine posteriori, vt subiectum sine accidente, natura tamen non potest hoc semper, licet possit aliquando, vt quando accidentia sunt necessaria respectu talis subiecti, vt superficiem non potest natura conseruare sine aliquo colore: Deus tamen potest sine omni colore, quia totum genus colorum superficiem inest

14

inest contingenter, sicut quodlibet indiuiduum: unde sicut potest ab vno indiuiduo separari, sic à toto genere coloris. Sic est in proposito, quantitas est ratio sicut, & distincta, distincti situs: licet ergo tota natura non posset separari à distincta quantitate distinctum situm, tamen Deus potest, & tunc hoc modo debent procedere, quod licet distinctio situs sit accidens, consequens necessarid distinctam quantitatem, tamen Deus potest vnum separare ab alio, & conseruare prius sine posteriori, quantitatem scilicet distinctam sine distincto situ; natura tamen hoc non posset.

Deum posse conseruare prius sine posteriore.

Et tunc respondendum est ad rationes primæ opinionis, quando dicitur quod quælibet dos habet actum aliquem. Dico quod non est verum: imò impassibilitas est dos, & non habet aliquem actum, quia non posse pati, non est nisi negatio ipsius posse pati.

Ad rationes pro sent. positam, n. 9 quæ vult deur Ric.

Et si dicas, quod impassibilitas prohibet ne agens contrarium possit causare actionem. Dico quod si hoc est verum, tamen hic non est aliqua actio, sed sola resistentia.

Ad secundum dico, quod Deus de potentia absoluta posset facere corpus gloriosum cum glorioso, sicut cum non glorioso, non tamen Deus disposuit: & pro tanto dicitur quod potest facere gloriosum cum non glorioso: non autem cum glorioso.

Corpus beatum, an possit simile penetrare.

15

Ad tertium, dicendum quod propter hoc corpus non est onus; non quia non habet hoc, propter qualitatem aliquam in ipso, per quam posset se virtute propria facere cum alio corpore: sed quia ita citò virtute diuina potest facere se cum alio corpore, sicut si esset sine corpore, posset esse cum alio corpore virtute sua.

Ad aliud, quando dicitur quod Deus potest facere corpus cum alio corpore, & conseruare ipsum per aliquod tempus cum eo, & perpetuò; concedatur: & quando dicis vitrà, si potest ipsum perpetuò conseruare, potest sibi dare formam, per quam sit cum alio corpore. Respondeo, si intelligas per illam formam respectum quendam extrinsecum ad aliud corpus, qui respectus est simultas; concedo: si autem intelligas, quod det sibi formam priorem, quæ sit causa simultatis; nego.

Ad aliud de igne, & ferro; dico quod ferrum est corpus alterabile ab igne: non tamen ferrum ignitum est ignis; quia corpus durum, & difficulter recipiens, ex quo recipit, fortiter alteratur in illis qualitatibus, & per consequens secundum eas, fortiter agit non tamen ibi est ignis, sed qualitas ignis, nisi fortè in poris ferri, vbi est ignis, quia corpus subtile, & penetratiuum est. Ex hoc enim aliquid dicitur penetratiuum, non quod penetret solida, sed partes minimas, vbi non est soliditas: sic etiam spiritus animales dicuntur subtiles, quia diffundunt se per totum corpus, per poros illos, vbi non est caro solida, non quod simul sint cum carne solida. Ad probationem, cum dicis, habet virtutem alterandi; dico quod verum est, non tamen in materia propria.

In ferro ignito non est forma ignis, nisi fortè in poris.

Spiritus animales quomodo subtiles?

16

Ad aliud de pane, & vino, dicendum quod si totus panis esset pori, nihil essent ibi de pane: oportet ergo aliquam partem esse solidam, & aliam porosam, & in illis poris recipitur vinum verè; in aliis verò partibus non est vinum, sed humiditas quædam extra circumstans: non tamen in pane, sed in vino, vt patet in exemplo Philosophi, de digito, & aqua: quia humiditas circumstans digito non est tantum humiditas, sed est de aqua cum humiditate, quæ non est in digito, sicut in subiecto; sed in aqua, à qua non separatur: nec tantum est ibi illa humiditas, quæ ab aqua separari non potest, quæ tantum est contigua digito: sed aliqua humiditas alia, quam potest digitus recipere, quæ subiectiuè est in digito: sic aliqua qualitas causatur à vino, quæ est subiectiuè in pane. Et sic patet quod argumentum non concludit per illud simile.

In pane inuncto vino, non est vinum, nisi in poris.

Humiditas est effectiua.

Alij dicunt, quod corpus gloriosum est cum non glorioso, & potest esse per miraculum: modus enim quantitatus est ratio quare aliquid est localiter in loco; sed modus quantitatus potest tolli à corpore, & sic non erit localiter in loco: esse autem cum alio corpore, non tamen localiter, non est inconueniens. Contrà, hoc non valet, quia quod est in loco sibi æquali, est localiter in loco; sed tale corpus quando est cum alio corpore, est in loco sibi æquali: nec vnquam tollitur ab eo, quin sit in loco sibi æquali: ergo nec modus quantitatus, licet benè concedam quod Deus benè potest hoc facere, non tamen facit illud.

Goff. quodl. 6. q. 5.

Refutat Goff.

COMMENTARIUS.

23
Henrici modus.

Alius est intellectus, &c. Adducit modum, quem statuit Henricus, nempe Deum posse conseruare prius sine posteriori: v. g. subie-

ctum sine accidente; quantitas autem distincta est prior, & ratio, & causa distincti situs, qui est posterior: licet nequeat natura conseruare prius sine posteriori, potest Deus. Hanc non impugnat Doctor, quia coincidit cum propria sententia, quæ in paragrapho sequenti ponitur. Et hac
Fff 4 supposita,

supposita, respondet ad argumenta præmissa pro prima opinione, paragrapho, *Quia ista rationes.*

14
Ad primum, negat de ratione dotis esse ut sit actiua, & instat de impassibilitate. Posset etiam dici quod penetrabilitas sit actiua, in quantum

Penetrabilitas est actiua ex parte beati.

Est à Deo sustentante concursus quoad repugnantiam corporis locati primò.

Ad secundum, Corpus gloriosum non penetratur ab alio.

Deus specialiter concurrit cum voluntate, & potentia motiua beati, quo se possit sine resistentia collocare in eodem loco cum alio corpore non glorioso: quia sicut motus ille est à potètia motiua, Deo concurrente specialiter, ita etiam & terminus motus. Cæterum quod aliud corpus non cedit, est à solo Deo conseruante ipsum in eodem situ sine repugnantia ad corpus gloriosum, neque hoc genus actionis negat Doctor: sed tantum illud, quod procedit à principio actiua per modum qualitatis superadditæ.

Ad secundum, dicit quod Deus potest facere corpus gloriosum penetratiue cum alio glorioso in eodem loco, si vellet, de facto tamen non vult. Hæc est communis resolutio Doctorum omnium nostræ Scholæ, quam tenet Altihsiodorensis, D. Bonauent. Richardus, Suarez scilicet. 2. Salas scilicet. 19. Lusitanus quest. 6. art. 6. paragrapho 2. Contrarium docet Palacius, modò penetratio fiat per qualitatem actiuam: non valet autem consequentia illius argumenti, quia infertur beatum habere virtutem penetrandi corpus non gloriosum per aliquam qualitatem creatam: quia quod limitatio actionis, & concursus diuini posita per potentiam ordinariam possit à Deo tolli de absoluta potentia, non sequitur effectum limita-

tum illud esse posse ab alia causa, quam à Deo solo.

Ad tertium, committit non causam ut causam: quia ille effectus, quo tollitur onus prætensum animæ, non est per qualitatem illam, sed virtute diuina assistente ad nutum beati.

Ad quartum, negatur consequentia, si intelligatur de forma per modum principij prioris, & actiui.

Ad vltimum de similitudine ferri candentis, & panis recipientis vinum, respondet benè, & philosophicè, neque ferrum fieri ignem, sed alterari per qualitates ignis, nisi fortè in poris aliquid ignis subintrat, in partibus non solidis, si quid spiritus vitales diffunduntur per corpus in partibus non solidis. Eodem modo de pane dicendum & vino; potest tamen aliqua humiditas, non illa, quæ est in vino ut subiecto, sed alia per vinum produci in pane; sicut digitus comprimens aërem potest ab eo recipere humiditatem, ut dicit Philosophus 2. de anima text. 113. quæ humiditas non est illa, quæ est circumstantis aëris, sed alia producta in digito; hinc non colligitur penetratio: ergo, &c.

Alij dicunt quod corpus gloriosum, &c. Hic adducit opinionem aliorum, quæ in margine notatur Gotifredi. Hæc reducit impenetrabilitatem in hoc quod modus existendi quantitatus separatur à corpore glorioso: quam sententiam rectè reiecit Doctor, quia corpus gloriosum est in loco quantitatiue, & loco tanquam æquale locatum, estque circumscriptiue etiam in loco.

Quomodo ferrum alteratur ab igne.

Responsio ad aliam ex præp.

25
Sententia aliorum reiecitur.

SCHOLIUM.

Sententia Doctoris tria continet. Primum, possibile est duo corpora esse in uno loco hoc patet ex allatis, ratione ad oppos. & num. 4. & Patribus citatis scholio primo, ideoque meritò reprehenditur Durand. dist. 44. quest. 6. quem sequitur Palud. quest. 3. quod defendat, ut probabile, oppositum. Secundum, possibilitas essendi in loco simul cum alio corpore, debetur corpori beato, ut informatur anima, quæ id meruit. hoc constat ex dictis, scholio primo, & ratione ad oppositum. Tertium, ista possibilitas, id est, subtilitas, non potest esse qualitas vlla: quod probat tripliciter, & sic erit Dei decretum, de positione corporis beati simul cum alio, quoties beatus id voluerit, sicut in simili dictum est de impassibilitate quest. 13. hæc est communior sent. DD. pro qua Suar. 3. part. distinct. 48. scilicet. 5. citat D. Thom. Richard. Capreol. Paludan. & alios, dicens esse communem.

17
Respondeo ergo ad questionem, vbi primò ostendo quod possibile est duo corpora esse simul. Secundò, quod hæc possibilitas debetur corpori, ut informatur ab hac anima. Terriò, utrùm sit qualitas absoluta illa possibilitas? Ad primum dico, quod in corpore glorioso est possibilitas essendi cum alio corpore. Probo, ad simpliciter impossibile non est aliquid in potentia actiua: sed ad hoc est potentia, ut fide tenemus de corpore Christi in Natiuitate, & in aliis exemplis supra positis: ergo, &c. Sed quomodo ita sit? Dico quod inter quantitatem, & quantitatem non est repugnantia formalis, nec inter situm & situm, nec inter vbi, & vbi. Probatio, quæcunque formæ quantumcunque sint contrariæ, si sunt in diuersis subiectis, non repugnant: sed illa duo vbi, sunt in diuersis: ergo non repugnant formaliter. Vnde dato quod in hoc corpore sit hoc vbi, & in alio aliud vbi, ista duo vbi non repugnant formaliter, quia eiusdem speciei sunt: nec repugnant respectu corporis, scilicet subiecti, quia hoc vbi est in vno corpore, aliud in alio: si ergo est impossibilitas, quod illa duo vbi sint in diuersis, hoc non est propter repugnantiam, quam habent inter se absolute: nec etiam, ut comparata ad subiecta: ergo oportet quod sit propter comparisonem eorum

Duo corpora posse simul esse. Non est repugnantia formalis inter quantitatem, & quantitatem, vel vbi & vbi. Plures res distinctæ possunt esse ad vnum terminum.

eorum ad eundem terminum, respectu cuius accipiuntur; sed nec sic est impossibilitas, quia duos respectus extrinsecos esse in diuersis, non ad diuersos terminos, non est impossibile: quia nec est impossibile de respectibus intrinsecis aduenientibus, ut duos respectus similitudinis esse in diuersis ad vnum simile.

Præterea, hoc patet ex hoc, quod impossibilitas quanti ad quantum, existendi in eodem loco; non est nisi sicut impossibilitas causæ essendi sine suo effectu naturali; sed cum causa prior sit suo effectu, & omne prius naturaliter Deus posset conseruare sine posteriori: non est impossibile quantum esse cum quanto, & quantum esse sine effectu suo: & per consequens potest esse quantitas, siue dimensio distincta sine distincto situ: sed erunt duo respectus eiusdem situs, & per consequens duo corpora simul possunt esse.

18 ° De secundo dico, quod possibilitas essendi cum alio corpore conuenit huic corpori, & debetur, ut ab hac anima informatur, & hæc possibilitas est dos subtilitatis. *Quid sit subtilitas*
Vnde sicut perfectio huius animæ est debitus ordo ad gloriam; sic est perfectio corporis, quod sit cum alio corpore pro libito voluntatis animæ beatæ ad coagendum illi alteri.

19 P Sed de tertio principali, quid est ista possibilitas? estne aliqua qualitas absoluta? Dico quod non; quia hæc possibilitas non est aliud in hoc corpore, nisi ut non repugnet ad coexistendum alteri corpori: talis enim non repugnantia non est qualitas absoluta: ergo, &c. *Subtilitas non esse qualitatem probatur tripliter.*

Præterea, non videtur quod aliqua qualitas creaturæ habeat respectu *ubi* maiorem virtutem, quàm Angelus; sed Angelus non potest causare duo *ubi* respectu eiusdem termini: ergo nec illa qualitas: si ergo ponatur, erit frustrâ.

Præterea, si erit qualitas aliqua absoluta, vel erit qualitas actiua, vel passiua; non passiua, quia tunc per illam corpus gloriosum fieret passibile, nec actiua, quia nec simultas corporum esset actio eius, nec terminus: non actio, quia suum oppositum magis importat actionem, quæ est expellere: nec terminus actionis eius, quia simultas aliquorum est eorum non mutua expulsio: vnde dicit carentiam actionis: ergo propter illam non oportet ponere qualitatem actiuam: si ergo inesset qualitas talis, non ageret, imò magis impediret: quia si haberet aliquem actum, ille esset expellere aliud corpus: quod autem sit aliqua qualitas, & non habeat aliquam actionem, inconueniens est.

Omnis qualitas habet aliquam actionem. Dna causa subtilitatis.

Dico ergo quod subtilitas, vel illa possibilitas non habet susceptiuum intrinsecum in corpore glorioso, sed habet causam intrinsecam voluntatem suam, & extrinsecam voluntatem, & potentiam diuinam: & sic ille ordo intrinsecè est in illo corpore, & debetur sibi quasi de iure, ut dictum est de dote impassibilitatis, & secundum hoc dicitur dos.

20 9 Ad argumenta. Ad primum, dico quod non erit corpus gloriosum subtile per carentiam alicuius partis materiæ: sed per possibilitatem existendi cum alio corpore secundum libitum voluntatis animæ suæ; non tamen ex se effectiue, sed per aliam causam, scilicet voluntatem diuinam. *Ad arg. 1.*

Ad secundum dicitur communiter, quod non est simile: maior enim virtus requiritur ad hoc, quod vnum corpus sit in duobus locis, quàm quod duo in vno loco: & ideo consequentia non valet. Ista solutio non valet: vtrumque enim non est nisi potentia increata: ergo æqualis virtutis: neutrum enim est possibile potentia creatæ: sicut ergo vnum posset esse per dotem, ita & reliquum. *Ad 2. Rich. hic q. 5. sol. 6. argum.*

Sed posset dici, quod natura non potest dare, nec causare mutationem positiuam sine mutatione priuatiua, in quibus nata sunt concurrere. Vnde non potest dare albedinem, nisi priuet subiectum nigredine, in quibus tamen non sunt nata concurrere, in illis potest, ut in illuminatione: ibi enim est mutatio positiuam sine priuatiua. *An aq. difficile, duo corpora poni in vno, & vnum in duobus locis.*

Ad propositum, omnis motus ad diuersa *ubi*, est talis quasi ad contraria; & ita absolute loquendo natura non potest facere, quod corpus aliquod accipiat vnum *ubi*, & non priuetur alio *ubi*: quia natæ sunt concurrere mutationes positiuæ, & priuatiuæ in talibus. Sic non est quando facit duo corpora simul, quia priuat corpus vno situ, & ponit ipsum in alio situ: non tamen facit illam mutationem priuatiuam circa aliud corpus, sed in se.

Præterea, si faceret vnum corpus in duobus locis, faceret mutationem, quæ nata est terminare motum sine motu: quod patet, quia si manet in illo loco, & est in alio, non mouetur ad illum, quia iam dimitteret primum; quia motus ad illud *ubi* est recessus

cessus ab alio *ubi*: sed impossibile est naturam facere mutationem sine motu, quæ mutatio nata est terminare motum localem, ut patet: ergo, &c. Hoc autem non sequitur si ponantur duo corpora in vno loco. Potest etiam dici, quod ad hoc quod vnum corpus sit in diuersis locis, requiritur aliqua actio positiua, & sic aliqua virtus actiua; non autem ad hoc, quod duo corpora in vno sint, & ideo non est simile.

Ad 3. *Videatur penetratiō fieri per denegationem concursus ad expulsiōē, ideoque effectiue sit expulsio localis.*
Ad tertium, dicendum quod procedit ex falsa imaginatione, quia dimensiones illas esse easdem dimensionibus loci, potest intelligi positiue, vel negatiue: si positiue, falsum est, quia non sunt eadem alicui dimensionibus loci, quia locus non habet dimensiones, ut patet 4. *Phys.* præter dimensiones locati. Si autem intelligatur negatiue, id est, non aliæ: verum est, & tunc glossandum est, dimensiones illius corporis, & alterius corporis, quæ sunt in eodem loco, sunt idem dimensionibus loci, id est, non aliæ: quia non sunt dimensiones loci aliæ à dimensionibus locati, vel contenti in loco: sed propter hoc dimensiones corporis illius non oportet quod sint idem dimensionibus alterius; quia non sunt alicui alteri idem, & ideo manent distinctæ dimensiones.

Ad 4. *Corpus beatum non potest penetrare corpus aliud beatum.*
Ad ultimum dico, quod non est dara potestas corpori glorioso coexistendi corpori alteri glorioso, licet sibi possit dari: quia dos subtilitatis est, quod ad imperium voluntatis suæ sit cum alio propter perfectionem aliquam: quod autem sit cum glorioso non requirit dos subtilitatis, nec perfectio aliqua. Ad illud quod dicis quod magis conuenit gloriosum cum glorioso, quam cum non glorioso: dico quod verum est; & cum dicis, ergo deberent esse magis simul: dico quod non oportet, nisi essent cætera paria: non enim omnis similitudo est ratio similitudinis: si enim ratio valeret: concluderet quod cum duæ dimensiones plus conueniant inter se, quam quantitas cum qualitate: ergo magis possent esse simul: quod falsum est. Potest etiam ibi dici, quod non propter imperium voluntatis alterius beati: non enim habet anima imperium super corpus gloriosum; sicut super non gloriosum.

COMMENTARIUS.

26
Resolutio questionis.

1. Conclus.

Probatio.

Respondeo ergo ad questionem, &c. Hic statuit propriam sententiam, quæ tribus conclusionibus absoluitur; quarum prima est quod duo corpora diuina virtute possunt esse in eodem loco. Hanc probauit superioribus variis exemplis Christi Domini, eamque docet fides, ut ipse asserit, & Patres, ut ibidem discutimus contra modum primum negantem penetrationem corporum esse possibilem; & probauit hanc repugnantiam esse virtualem, & non formalem; quod etiam sic breuiter repetit. Non esse repugnantiam ex parte corporum respectiue ad diuinam virtutem, patet: quia potest Deus suspendere effectum secundarium causæ efficientis, potest separare posterius à priori: situs autem diuersus, & repugnans sic conuenit quantitati diuersæ: non est repugnantia nisi ad locum ut ad terminum; hæc etiam potest tolli consequenter tam materialiter, ex indistantia duorum corporum quoad repletionem eiusdem loci, quam formaliter, quia non repugnat in ipsis ut diuersis fundari diuersos respectus eiusdem speciei in ordine ad eundem locum, ut terminum.

27
2. Conclus.

Dos subtilitatis in ordine ad penetrationem consistit. Alij saluant in ordine ad cognitionem

Sent. D. Thoma.

De secundo dico, &c. Hæc est secunda conclusio, in qua dicit hanc possibilitatem penetrationis in loco conuenire huic corpori glorioso, & deberi, ut ab hac anima gloriosa, scilicet informatur, & hac possibilitas, inquit, est dos subtilitatis. Aliter alij explicant dotem subtilitatis: nam Durandus in 4. d. 44. quest. 5. art. 1. Paludanus q. 3. art. 1. statuunt dotem subtilitatis in perfecta subiectione corporis ad animam in ordine ad operationes cognoscitivas, & appetitivas. Alia est sententia D. Thomæ d. 44. q. 2. art. 2. questiuicula prima, & art. 3. q. 1. ad 3. & in hac dist. quest. 4. art. 5. q. 3. ad 2. & in cap. 15. prime ad Corinthios lect. 6. ad finem

statuit dotem in completissima subiectione corporis ad animam, ut hæc est forma complete informans corpus, per quam subiectionem corpus promptè recipit formam cuiuscumque imperij animæ beatæ, quod est proprium corporis subtilis, ut patet in aëre & aqua, quæ suscipiunt formam valis continentis. Sequitur Capreolus in dist. 44. q. 3. art. 1. concl. 1. Soncinas q. 3. Sotus in hac dist. quest. 4. art. 6. conclus. 3. Abulensis, Valentia citati: Viguerius in *Instit. Theolog. cap. 14.* estque frequens in Schola D. Thomæ. Itaque dotem statuit in ordine ad hunc effectum, penetrationem autem corporum negat esse ex dotē hæc sententia, sed virtute diuina. Si hæc sententia intendat subiectionem ad imperium animæ in ordine ad formam surs, & penetrationem aliorum corporum, non differt in se ipsa à sententia Doctoris.

Conclusio Doctoris est hanc dotem esse in ordine ad penetrationem corporum in eodem loco sine diuisione ipsorum corporum, quam tenet D. Bonauentura in hac d. art. 6. q. 1. Richardus art. 4. q. 4. Petrus à Tarantasia questiuic. 3. Omnes nostræ Scholæ Doctores; Palacius d. 44. dispnt. 3. Suarez 2. tom. in 3. p. dispnt. 48. sect. 1. Salas citatus dispnt. 14. sect. 19. Altiñodorensis in 4. part. Summa tract. 11. q. 2. Parisiensis de vniuerso; estque magis consentanea Patribus, qui hanc perfectionem explicant in ordine ad penetrationem corporum, qui per oppositum dicunt hoc repugnare corporibus non beatis ob corpulentiam & dimensiones, quæ inter connaturales defectus corporis mortalis, Damascenus lib. 4. de fide cap. ult. *Seminatur, inquit, corpus animale crassum & mortale, resurgit corpus spirituale, immutabile, impassibile, subtile: hoc enim designat spirituale, quale Domini corpus post resurrectionem clausis portis ingrediens, &c.* Epiphanius hæresi 20. *Christus, inquit, surrexit ex mortuis, non aliud corpus suscitans, sed seipsum,*

In subiectione plena corporis ad animam statuit.

Explicatur,

28
Dos consistit in ordine ad penetrationem.

Consentanea Patribus sententia.

Damasc.

Epiphani.

Augst.

21

Euthym.

29
3. Conclusio.

Non est qualitas in peradditam.

Penetratio huiusmodi diuina.

Probatio conclusio.

1. Ratio.

3. Ratio.

Corporum multas dicentiam actionis.

30
Responsio Lusitani.

Impugnatio.

Patres huiusmodi effectum Deo tribuunt.